

permissuris, etiam horum serie plenissime, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut presentes littere in Valvis Ecclesie Lateranensis, & Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellarie Apostolice, Curieque generalis in Monte Citorio, ac in Arce Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur, ac affigantur, sique publicitate, & affixa omnes & singulos, quos ille concernunt, perinde accitent, & assiciant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent. Pariterque, ut earundem presentium transumptis impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in Dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ei casu temerario contraire: si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo. Decimo Kalendas Januarii. Pontificatus Nostri anno septimo.

Notandum tamen circa §. 28. quod S. Congregatio interrogata, num etiam Fratres Minores Regulam in sua puritate observantes, caplam pecuniariam ibidem praescriptam habere debeant, aut possint, responderit negative; in reliquis vero memorata constitutio illos aequè ac alios obliget.

214. Queritur V. Quomodo in praxi fieri debeat jurata attestatio à sacerdotibus Regularibus per Bullam §. 33. praescripta? Aute responsum notandum, hanc quaestionem necessariò hic poni, quia multi circa eam non modicas sentierunt difficultates, anxietates & dubia. Bulla & superioribus memoratam attestatorem, urgentibus, conscientia vero ob defectum requisita ad hoc notitiam eandem dissuadente; cum sacerdotibus subditi sufficientem per jurata attestatorem cogitationem, an reverà, & quomodo Missarum obligationibus satisfactum sit, nec ne, scire non habuerint.

Resp. sacerdotes praefatam juratam attestatorem facere non posse ad solam relationem superioris & sacrilite afferentium, oneribus Missarum esse satisfactum. Ratio est; quia ad solam hanc relationem in veritate jurare non possunt, dictis oneribus esse satisfactum, sed praecise superiorum, & sacrilite dicere, eis esse satisfactum; per quod non satisfit rationi & fini legis, consequenter nec ipsi legi. arg. l. Non dubium. C. de Legib. cum concord.

Hinc omnino necessarium videtur, ut sacerdotes prius indagent, non tantum ex superioribus & sacrilite, sed etiam & quidem vel maximè ac praecipuè ex ipsis Missarum libris juxta praescriptum Bullae §. 27. in sacrilite habendis, num reverà, & qualiter satisfactum sit dictis oneribus; indeque acquisitae cognitioni conformiter iuramentum suum praestare. Ratio est; quia necessaria ad praestandam juratam attestatorem notitia, vel cognitio melius ac securius habere nequit; prout consideranti patet. Et licèt etiam ex his certa notitia haberi non possit, cum superior cum sacrilite colludat, & libros alterare, vel falsas satisfactores proponere possit; tamen quia tam grave falsum & tam grandis malitia non facile est praesumenda

arg. L. Merito. ff. Pro socio, & ut dictum, superior & melior notitia aliunde haberi nequit, intentioni legis ab Innocentio XII. positae sufficienter, utpote, modo, quo fieri potest, optimo, satisfieri censetur.

Advertendum tamen, quod etiam post inspectos, & examinatos Missarum libros juramentum de satisfactioe praestata, absolventur deponere non possunt sacerdotes, sed cum apposita clausula: juxta tenorem, & annotationem praefatorum librorum, & non aliter, nec alio modo juramus &c.

Ratio, quia vel maximè consistat etiam debet, nam ipsi sacerdotes juxta intentionem à superiore, vel sacrilite sibi datam celebrant, & celebrando oneribus Missarum satisfecerint, ipsi, suis, & intentio Legis, consequenter lex ipsa ulterius requirere videtur, ut pro tempore praesentes sacerdotes deluper jurato, & quidem absolute testentur, cum quibus eorum, num juxta memoratam intentionem celebrant, optimè sciant, ac propterea cum veritate absolute jurare facile possint, & per consequens debeant, sequenti aut simili modo.

Formula juratae attestationis à Regularibus praestanda.

Cum de praesentibus inspecturis notum sit, qualiter nos infra scripti sacerdotes Monasterii N. vel Conventus N. v. v. & diligenter examinatis libris, qui in sacrilite dicitur Monasterii, vel Conventus afferunt, non Missarum onera curant, tum perpetua, quam temporalia, & Manualia: tum eorundem satisfactioes, & adimplementum juxta praescriptum Constitut. Innocentii XII. Nuper Annotata continent, invenimus, Missas ex vi legati perpetui vel contractus singulis diebus, vel septimanis, vel singulis mensibus, vel quolibet anno celebrari debere. (expressatur distinctè numerus v. g.) pro serenissimo &c. N. N. singulis diebus unam, pro defuncta familia N. quilibet septimana tres, pro defuncto Reverendissimo singulis quatuor temporibus unam, celebrari debere, & celebratas esse. (expressatur veritas) v. g. hucusque omnes excepta. (celebrandas vero intuitu manuali elemosyna fuisse à die &c. Mensis &c. anni &c. usque ad diem &c. Mensis &c. anni &c. sub Priore, vel Guardiani fuisse. (designetur numerus) ac sub eodem, sine gravi alicujus dilatione celebratas esse. (consequenter adhuc celebrandas praestare. (quod juxta tenorem & amorationem praefatorum librorum, & non aliter, nec alio modo, hisce sub juramento testamur, sub eodem etiam afferentes, nostram quemlibet juxta intentionem à superiore immediate vel mediate nobis datam, semper celebrasse. In quorum majorem fidem, praesentes propria manus subscriptione, & consueto conventus sigillo munimus. Datum &c.

Quod si sacerdotum unus, vel plures in praefatis libris vel fraudem vel errorem, defectum, negligentiam, vel nimiam Missarum dilationem aut etiam omissionem deprehenderit, illum inattestatione exprimit, vel à subscriptione & attestatorem omnino abstinere, & superioriorem Majorem deluper informare utique debent.

Ad quem finem & ut quis, quantum requiritur, & sufficit, libros Missarum lustrare, & suamque attestatorem juratam conscientiose, & veridice dare queat, ulterius necessarium erit, ut superior localis suis subditis sacerdotibus in similibus congregatis libris sepe allegatos legendos, & examinandos tempore opportuno tradat (singulis enim privatum ad cellam librorum committere non expedit) quatenus quibus eorum necessa-

necessariam per jurata attestatorem praestanda cognitionem haurire valeat.

Notandum tamen, quod licèt superiores locales singulis annis exactam rationem reddere debeant, qualiter oneribus Missarum satisfecerint, attestatorem tamen juratam à subditis Sacerdotibus de memorata satisfactioe, tempore sui Regimini praestita, secum afferre duntaxat debeant in Capitulis aut Congregationibus Provincialibus; ut liquet ex §. 27. & 33.

Si quaeras, quomodo apud Regulares in praxi sciendi, & ordinandi sint duo Missarum libri à Constitutione Innocentii XII. praescripti? Resp. Relinqui hoc prudenti Superiorum judicio. Juvat tamen hic adducere, quod aliqui, ut fini & intentioni legis satisfaciatur, Regulas, & methodum sequentem observent.

Regula prima: liber celebrandas Missas continens habeat plures Rubricas, & quaevis Rubrica habeat plura in proportionato numero, aut quantitate folia, diversis signaculis à foliis alterius Rubricae distincta.

Regula secunda: memoratus liber potest habere sequentes Rubricas.

RUBRICA I.

Onera Missarum perpetua & temporalia.

RUBRICA II.

Missae currentes, seu Manuales pro stipendio elemosynario celebranda.

RUBRICA III.

Missae currentes, seu manuales utraque ob stipendium elemosynarium specialiter pro defunctis celebranda.

RUBRICA IV.

Missae pro Xenio, dono, natalitio vel gratitudinis, aut alio simili titulo sponte oblatae benefactoribus alius personis, & ab eis acceptatae, consequenter etiam sub oblatione legenda.

RUBRICA V.

Missae vi statutorum pro defunctis Fratribus, Parentibus, Consanguineis, Benefactoribus, & confederatis celebranda.

Circa Primam Rubricam nulla in sciendiō reperitur difficultas, cum plus non requiratur, quam ut exactè specificetur, quot, quo tempore, qua intentione, quo loco, & quo modo sint celebrandae, sequenti aut simili modo.

RUBRICA I.

Onera Missarum tam perpetua, quam ad certum tempus in Conventu.

Pro Anno 1712. adimplenda à die 18. Septemb. singulis diebus legi debet una Missa pro Fundatore N. N.

Feria secunda cujuslibet septimana una Missa in honorem B. V. Mariae pro vicis & defunctis Familiae N. N. idque vi legati perpetui à D. N. facti, Conventui annualiter ferentis elemosynam. - §. X.

Qualiter septimanae una Missa pro defuncto N. in

Altari privilegiato; ex fundatione D. N. imperante annuum elemosynam. - §. X.

Singulis Mensibus Officium solenne de Requiem pro defuncta Familia N. ex perpetuo legato ferente elemosynam annuatim. - §. X.

Quinto Martii cujuslibet anni, Officium solenne in honorem B. V. M. sine labe concepta, in Altari ejusdem pro Exirpatione haereticorum fundacione Domini N. ferente annuam elemosynam. - §. X.

Et sic de aliis. Quae autem, & qualiter adimplenda sint, facile cognoscet, si cum hoc confers librum alterum, in quo satisfactio & adimplementum Missarum principaliter continetur; praesertim quia juxta dicenda infra, refertur ibidem praeter Missas, quotidie lectas etiam dies; qua Missae petuntur, aut debentur; & Rubrica; ad quam quaevis pertinet; quamvis etiam optime fieret, si post hujusmodi relationem de oneribus adimplendis inferius referretur, qualiter, & à quo cuius vi tempore fuerit satisfactum.

Anno sequenti, poterit in libro hujusmodi eadem Rubrica, & si nullum onus de novo advenit, remissio fieri ad annum praecedentem v. g.

RUBRICA.

Onera Missarum tam perpetua, quam ad certum tempus in Conventu N.

Pro Anno 1722. adimplenda à die 19. Septembris sunt eadem, qua anno priori.

Postquam remissionem iterum referendum, qualiter & à quo dictis oneribus hoc anno fuerit satisfactum, si vero onus aliquid additum, demptum, vel mutatum est, exprimitur.

Circa secundam Rubricam majori, ac exactiori requiri videtur observantia, & attentio ad hoc, ut inspicientes, examinantesque librum commode, & sufficienter cognoscere valeant, an & qualiter satisfactum sit hujus Rubricae Missis. Servire tamen poterunt ad hoc sequentes Regulae.

I. Eligantur in cujusvis folii latere ad primam extremitatem duo spatia diversis lineis distincta, in quorum uno notetur dies anni; & mensis, in quo Missae manuales seu currentes pro elemosyna petitae fuerit, vel obligare experunt: in altero autem nomen Missarum hujusmodi, quae quovis die fuerit petita.

II. Post haec spatia in linea recta ad praefatum numerum scribatur intentio Missarum petitarum cum necessariis circumstantiis, praesertim talibus, ex quibus cognosci valeat, num itam legi debeant, vel aliquam saltem dilationem patiantur. Si enim Missa petitur pro felice morte alicujus v. g. Agonizantis, vel cras ad patibulum duccendi, vel alterius causa, aut negotii de praesenti urgentis, utique nullo modo differri poterit per solutio talis Missae.

III. Postea ad alteram extremitatem fiant alia duo spatia, duabus aliis lineis distincta, & in eorum uno scribatur pariter in linea recta ad praecedentia dies anni, & Mensis, quo Missae in linea recta specificatae, fuerit celebratae; in altero autem nomen Sacerdotis, qui celebravit, quatenus inde illico cognosci valeat, an, & quandiu aliqua Missa, ac qualis fuerit dilata: Item an correspondeat liber celebrandarum Missarum cum libro, in quo Missae jam celebratae praecise continentur. Capies hoc magis ex sequenti schemate.

Dies Anni & Mensis, quo hęc Missę fuerint petite.	Numerus Missarum petitarum pro elemosyna.	RUBRICA II. Missę currentes, seu Manuales pro stipendio elemosynario celebrande.	Dies Anni & Mensis, quo hęc Missę fuerint celebratę.	Nomen cuiusvis Sacerdotis, qui aliquę ex his Missis celebravit.
		In honorem S. Antonii pro felici parva. In honorem Spiritus S. pro felici electione crastina. Ad intentionem petentis Pro felici morte agonizantis	1. Jan. 1710. 1. Jan. 1710. 2. Janu. 1. Janu.	P. Petrus P. Massius P. Xistus P. Leo
Anno 1710. Januarii.	1. 1. 2. 12.	Pro felici Regimine noviter electi Decani, de quibus P. Andreas, P. Tobias. P. Eligius legerunt P. Albanus, & P. Ivo P. Alexius P. Antonius, P. Sylvius, P. Ivo P. Christianus, P. Leo P. Alexius	3. 2. 1. 1. 5. 1.	
		NB. Ex hoc vides, quomodo numerus & dies Missarum, nec non nomen Sacerdotis legentis signari debeant, pro debita cuiusvis notitia, casu quo, plures ab aliquo petuntur ad eandem intentionem. Debent nempe Sacerdotes Celebrantes, & numerus Missarum lectarum in medio hoc spatio scribi; quia in extremitate sufficiens non esset spatium. Hinc pro numero Missarum ad eandem intentionem petitarum relinquendum est proportionatum spatium, in quo Nomina Sacerdotum & numerus Missarum præfato modo scribi valeant		
2. Janua.	1. 1. 1. latas 20.	Pro serena tempestate In hon. SS. Trinit. pro gratiarum actione N. Pro impetranda virtute humilitatis	2. Janu. 2. Janu. 2. Janu.	P. Ivo P. Andreas P. Gabriel

Pari modo inscribuntur, & notantur celebrande Missę de quarta Rubrica pro Defunctis hęc addito, ut quę in Altari privilegiato petuntur, diligenter notentur. Pro majori capto annectitur etiam schema sequens.

Dies Anni & Mensis, quo hęc Missę fuerint petite Anno 1710. Januarii.	Numerus Missarum petitarum.	RUBRICA III. Missę currentes seu Moniales celebrande ob stipendium elemosynarium pro Defunctis.	Dies Anni, & Mensis, quo hęc Missę fuerint lectę.	Nomen cuiusvis Sacerdotis aliquam ex his legentis.
2.	1.	Pro defuncta Maria		
	1.	Pro defuncto Marco in Altari privil.	2. Jan. 1710.	P. Ivo
	1.	Pro defuncto Petro in Altari privil.	2. Jan. 1710.	P. Petrus
	1.	Pro defuncta Anna	7. Jan. 1710.	P. Emanuel
	1.	Pro defuncto Alexio in Altari privil.	18. Jan. 1710.	P. Paulus
15.	2.	Pro defuncta Ursula de quibus legitur.	19. Jan.	
17.		Pro largus, P. Zeno.	24. Jan.	
24.		P. Liborius.	25. Jan.	P. Ivo
29.		Pro defuncto Elia.	26. Jan.	P. Ivo
			3. Februa.	
Februar.	1.	Pro defuncta Ursula in Altari privil.	1. Februa.	P. Andreas
	1.	Pro defuncta Rosina	5. Februa.	P. Ivo
	1.	Pro defuncta Anna	8. Februa.	P. Remig.
	1.	Pro defuncta Rosalia	8. Februa.	P. Laurent.
	1.	Pro defuncta Eva	10. Februa.	P. Michael
	2.	Pro defuncto Antonio in Altari privil. de quibus P. Emanuel	10. Februa.	
		P. Thomas.	11. Februa.	P. Iustus
	1.	Pro defuncto Joanne	8. Februa.	P. Festus
	1.	Pro defuncta Antonia	14. Februa.	P. Ivo
	1.	Pro defuncto Alexio	16. Februa.	P. Paulus
	1.	Pro defuncto Andrea	20. Februa.	P. Antonius.
	1.	Pro defuncto Elia	29. Februa.	
	latas 22.			

Eodem ferę modo inscribantur, & notentur Missę quartę Rubricę sponte oblatae quidem, sed acceptatę, indeque sub obligatione legendę ubi tamen loco ly petite, ponitur oblata Missę. Juvat brevem annectere formulam.

RUBRI.

RUBRICA IV.

Dies Anni & Mensis, quo hęc Missę fuerint petite.	Numerus oblatarum harum Missarum.	Missę pro Xenio, dono Natalitio, gratitudinis, aut alio titulo sponte oblatae, Benefactoribus aliisque personis, & ab eis acceptatę indeque obligatorie.	Dies Anni, & Mensis, quo hęc Missę fuerint lectę.
Anno 1710. Januarii.	6.	Pro Xenio oblata Reverendissimo N. ad intentionem ejusdem legende, de quibus legerunt P. Ivo. P. Ferdinandus	3. Jan. 1710.
		P. Leonardus	6. Jan. 1710.
		P. Andreas	8. Jan. 1710.
19.	3.	P. Ivo & P. Alexius	15. Jan. 1710.
		Pro Natali oblata Illustrissimo N. pro ejus defuncta familia legende, de quibus P. Odilo legitur.	20. Jan. 1710.
		P. Ivo	24. Jan. 1710.
		P. Amadeus	25. Jan. 1710.
Februar.	50.	Ex debita gratitudine, oblata Reverendissimo ob presbiterum insignę Beneficium N. de quibus legerunt P. Ivo, P. Odilo, P. Paulus,	5. Fe. 1710.
		P. Tiburtius, P. Antonius	8. Fe. 1710.
		P. Leo	9. Fe. 1710.
		NB. & sic consequenter; relinquatur propter eadem spatium proportionatum.	
	2.	Pro Natali die oblata Magistro N. de quibus legitur P. Leo	17. Fe. 1710.
	1.	P. Ivo	24. Fe. 1710.
20.	1.	Pro Natali oblata honesto viro N.	30. Fe. 1710.
	latas 61		

Pro Rubrica quinta paulo aliter ordinatur schema Missarum celebrandarum ita videlicet, ut in extremitate prima lateris, unum duntaxat per lineam distinctum relinquatur spatium, in qua signatur Dies Anni, & Mensis, quo mors confratris, consulerati, beneficioris, &c. innovit, simulque ponitur numerus Missarum, quę pro tali defuncto vi statutorum, vel ex ordinatione Superiorum celebrari debent. Est a scribantur patres, qui Missas pro illo legerunt, addito numero illorum, quę in quovis die Mensis, (qui etiam exprimi debet) fuerint celebratę, ad quem finem sufficiens pro inscribendis successive Patribus pro tali defuncto celebrantibus relinquatur spatium, sequenti, aut simili modo.

RUBRICA V.

Anno 1710. 2. Maii innovit mors F. Lani, pro quo legi debent Missę 60.	Missę vi statutorum pro defunctis Fratribus, Parentibus, Confratribus, Benefactoribus, & Confratris celebrande.	Dies Anni, quo hęc Missę leguntur.
	Pro Fr. Lino celebravit P. Alexius	1. Maii 1710.
	P. Ivo, Leo, & P. Julius	3. Maii 1710.
	P. Petrus, P. Marcus, P. Paulus	5. Maii 1710.
	P. Ivo, & P. Leo	20. Maii 1710.
	Et sic subsequenter, donec præfatus numerus 60. Missarum adimpleatur, ad quem finem relinquatur spatium proportionatum.	
Anno 1700. 2. Sept. innovit mors Regis Hispanię, pro quo ex mandato Rmi. P. Generalis quivis Sacerdos in ordine tres legere debet Missas, sic in Convēntu nostro erunt legende 36.	Pro Rege Hispanię Missas celebravit P. Leo	8. Sept. 1700.
	P. Ivo, P. Julius, P. Sanctus	9. Sept. 1700.
	P. Guido, P. Xistus, P. Daniel, P. Leo	10. Sept. 1700.
	& sic consequenter, ut supra.	
	NB. Si fortan tempore aliquo Superior satis magnum numerum Missarum habens, Missas pro hujusmodi defunctis celebrandas committeret pro competenti elemosyna alicui alteri Missis destituto conventui, diligenter hic notetur, addito etiam die, quo id factum v. g. Pro Rege Hispanię Missas celebrandas commisit R. P. Prior, vel Guardianus conventui N. 28.	

Alter liber, solas videlicet continens Missas jam celebratas, seu adimplementum omnium quarumcumque Missarum, facilioris est ordinationis; siquidem in eo non sunt plures Rubricę, sed præcisę quovis die (qui ab initio semper poni debet) specificantur omnes Missę, quę a quovis Sacerdote totius Conventus vel Monasterii celebratę sunt, ubi tamen advertendum, ut præmisso nomine Sacerdotis celebrantis quovis Missa in hoc libro iisdem specificetur verbis, quibus notata fuit id priori libro, ubi principaliter specificatę habentur Missę celebrande: simulque in spatio per lineam distincto addatur dies Mensis, & Anni, quo Missa quovis fuit petita, vel obligare incepit, ac insuper notetur numerus Rubricę, ad quam Missa pertinet, quatenus inde illico videri possit, an hic liber cum priori correspondeat, & qualiter cunctis Missis oneribus satisfactum sit. Rem magis declarabit sequens formula.

Anno

Anno 1710.

1. Januarii, feria secundâ.

P. Petrus in honorem S. Antonii pro felici patre ... P. Massius pro felici electione crastina ... P. Leo pro felici morte jam agonizantis N. ... P. Ivo pro Fundatore N. ... Et sic de reliquis, sequitur dein dies altera per lineam distincta v. g.

Dies anni, & Mensis, quo Missa fuit petita, vel obligare cepit.	Nam. Rubricæ ad quam pertinet.
1. Januarii 1710.	2.
1. Januarii 1710.	2.
1. Januarii 1710.	2.
Perpetua	1.

2. Januarii feria terciâ.

P. Xistus ad intentionem petentis ... P. Antonius pro Fundatore ... P. Andreas pro felici Regimine noviter electi Decani N. ... P. Ivo pro Xenio Reverendissimi N. ad intentionem illius. ... P. Tobias pro felici Regimine noviter electi Decani N. Et c.

1. Januarii 1710.	2.
Perpetua	1.
1. Januarii 1710.	2.
1. Januarii 1710.	4.
1. Januarii 1710.	2.

3. Januarii, Feria quartâ.

P. Ivo pro serena tempestate ... P. Albanus pro felici Regimine noviter electi Decani N. ... P. Gabriel pro impetranda virtute humilitatis ... P. Justus pro Fundatore ... P. Petrus pro defuncto Marco in Altari privilegio. ... P. Ferdinandus pro Xenio Reverendissimi ad intentionem illius, & sic de cæteris.

2. Januarii 1710.	2.
2. Januarii 1710.	2.
2. Januarii 1710.	2.
Perpetua	1.
2. Januarii 1710.	3.
1. Januarii 1710.	4.

Num methodum istam ordinandi præscriptos ab Innocentio XII. duos Missarum libros imitari, vel aliam, forsitan meliorem, & faciliorem eligere placeat, cuiusvis prudenti, & libero arbitrio relinquitur; illud tamen humiliter commendatur, ut Superiores, qui aliam methodum faciunt, aut fieri curant, eam pro sine Constitutionis Innocentianæ obtinendo ordinare omnino fatagant; quatenus tam subditi Sacerdotes, quam Superiores Visitatores, inspiciendo & examinando præfatos libros sufficienter & commodè cognoscere valeant, an, & qualiter cunctis Mutuatum fuerit satisfactum, num aliquæ, & quenam omisissæ, vel culpabiliter dilatae, aut alio minus recto ordine vel modo perolutæ sint: cum illi, subditi videlicet desuper juratam attestacionem deponere, isti verò, superiores nempe, errores, si quos inveniunt, corrigere, & strictam observantiam dictæ constitutionis procurare, & zelare debeant.

Contra superiorem à nobis subministratam methodum obijci quidem potest, requiri valde magnum laborem non tantum in annotandis Missis celebrandis, & celebratis, sed etiam, & vel maxime in lustrandis & examinandis libris, præsertim in conventu aliquo, ubi plures v. g. 60. sunt Patres, & magnus Missarum numerus. Resp. Id verum quidem esse, sed pariter etiam esse verum, quod qualitercunque ordinetur alia methodus, fieri nequeat, quin magnus labor, sedulaque cura, & attentio requiratur tam in annotandis celebratis, & celebrandis Missis, quam in lustrandis, & examinandis libris, si, uti fieri debet, pro sine, & intentione legis obtinenda ordinetur, juxta immediatè superius dicta, uti consideranti, & aliam methodum formare tentanti patebit.

Cum itaque Constitutioni huic Innocentianæ necessariò sit obediendum, & hoc sine magno labore fieri nequeat, in Nomine Domini & in virtute obedientiæ propter Deum illum subire

oportebit; præsertim quia operæ pretium est; eò quòd serviat ad evitandas graves, easque varias fraudes, & negligentias, quæ tam in annotandis, quam debito modo, debitoque tempore celebrandis Missis committi facile possent, & teste Bulla passim solebant non sine magna offensa Dei, & gravi injuria eorum, qui Missas fundant, aut pro manuali elemosyna constitunt. Qui propterea etiam eadem Bullâ teste à similibus piis fundacionibus, intentionibus & actibus absterrentur.

Facilitare, & abbreviare videtur hunc laborem si tempore, quo à Sacerdotibus jurata attestacio de Missis rite celebratis dari debet, paulò vide licet ante Capitulum Provinciale, Sacerdotibus ad Refectorium convocatis, duo vel tres simul & semel librum ante se positum lustrant, & dein illum à se sufficienter lustratum aliis consequenter, ordine servato tradant, ipsi verò ad alia sua negotia iterùm se conferant. Notato prius in separata scheda numero Missarum petitarum, celebratarum, & adhuc restantium, nec non erroribus aut negligentibus, si qui inveniuntur.

Adhuc brevior foret via, si Sacerdotes omnes compromitterent in tres vel quatuor ex ipsis, prudentes, & timentes Deum, à sese liberè eligendis, ipsique committerent, ut præfatos libros exactè, & conscientiosè pro sine ac intentione legis examinent, & postea conscientiosam relationem cunctis in simul congregatis faciant. Verùm sicut hanc modum lustrandi libros tanquam Constitutioni Innocentianæ conformem, & pro intentione illius sufficientem positivè approbare non præsumo, ita etiam si aliquibus sufficiens videretur, reprobare & improbare non audeo; præsertim cum in Bulla certus modus lustrandi libros non sit præscriptus, & alius, uti supra jam dictum, in hoc puncto notitia omnino certa, & infallibilis haberi nequeat.

Cæterùm quoniam tandem libros examinant, breviori, & commodiori, simulque securâ viâ incidere videntur, si prius numerent omnes Missas manua-

manuales cuiusvis Rubricæ, & summam earum annotent, quòd statim fieri poterit aspiciendo summaria cuiusvis lateris. Dein verò videant, quo die quævis Missa sit petita, aut obligare inceperit, item quo & per quem fuerit lecta, quòd in eodem folio, brevi & uno quasi intuitu haberi poterit ex libro principaliter continenti Missas celebrandas (si methodus juxta supra positas formulas servetur.) Quòd si Missa aliqua nondum lecta, aut plus solito dilata appareat, notetur. Et hoc modo totum negotium absolvitur. Nec enim est necessè, ut etiam omnes Missæ, & Nomina sacerdotum celebrantium legantur in libro, in quo ordinatè annotantur omnes Missæ, quas & pro quibus singuli sacerdotes Conventus quovis die celebrantur.

Nec dicas, ergo hic alter liber superfluit; Respondetur enim, cum nihilo minus apprime quadrare, & necessarium esse; tum ut statim in promptu & breviter videri possit, utrum singuli sacerdotes, vel quinam, & pro quo, aut ad qualem intentionem quovis die legerint; quòd ex altero libro tam commodè haberi nequit, ut consideranti patet: Tum, ut, si necesse fuerit, prout subinde necesse erit, indagari valeat, num hic liber cum alio per omnia bene correspondeat, ita ut idem sacerdos, qui in uno libro notatus legisset. Pro defuncta Maria in altari privilegiato, pariter notatus reperitur in altero. Ad quòd cognoscendum utique expedit, imò necesse est pro sine legis, ut lustratores librorum saltem aliquas Missas ex utroque libro legant, & videant, num bene correspondant. Tali enim modo ad exactam in omnibus observantiam, & fidelitatem necessitantur tam superiores locales, quam sacristæ, hoc ipso, quòd nesciant, quenam Missæ ex utroque libro à lustratoribus sint examinandæ.

Porro qualiter & qua Methodo sacerdotes secularis debeant ordinare duos Missarum libros ab Innocentio XII. præscriptos, ex præfatis colligere poterunt, vel ipsimet pro arbitrio judicabunt. Nos solum hic notare volumus, pro facilitando eorum negotio apprime servare, si fiat ordinatio, ut quisvis sacerdos post Missam celebratam, propria manu in libro ad id deputato, suum nomen, & intentionem, pro qua Missam legit, inscribat; prout de facto Romæ universaliter fieri debet, ex novissimo Decreto Clementis XI. quòd proin etiam Regulares in his partibus utilitè imitari poterunt.

Tandem pro iisdem sacerdotibus secularibus, nec non pro Regularibus bonorum capacibus notandum, quòd cum Bulla Innocentii §. 27. expresse requiratur, ut etiam elemosyna pro missis oblatae distinctione notetur, necessarium videatur, ut dum Missa manualis aliqua inscribitur, simul etiam quantitas elemosynæ pro illa oblatae apponatur, quatenus etiam de hoc uti Bulla præcipit, exacta ratio, & utrum cum capla sacristiæ correspondeat, reddi valeat.

Dicitur autem notanter Regularibus bonorum capacibus: quia cum fratres minores exactam rationem de elemosyna exigere non valeant, nec capla pecuniariam in sacrificia habere possint, aut debeant, juxta dicta ab ista appositione quantitatis elemosynarum immunes sunt. Ignorat quæso benevolus Lector proluxam hanc, & simplicem de modo observandi Bullam Innocentii XII. discussio nem, cum enim ipsimet viderimus, & experti sumus, in pluribus conventibus ac monasteriis dari quoad observantiam hujus Bullæ maximas difficultates & dubia; ex neglecta autem ejusdem observantia corruptelas, abusus, negligentias, & errores non modici

dicos, ac insuper sedes Romana observantiam illius strictissime, & non obstantibus quibuscunque præcipiat, eamque superiores Generales identidem per visitatores inculcent, & sub pena certarum nullitatum urgeant, prolixius, & simplicius simulque practicè de ea scribere, utile duximus, ut quisvis etiam simplex Sacerdos necessariam notitiam habere valeat. Subjicio autem cuncta meliori aliorum judicio, & aliter ac perfectius in hac materia instrui cupio jam redeundo ad priorem nostram materiam.

Quæritur V. An, & quando committatur Simonia in Exercitio potestatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ? Resp. quicumque actum aliquem Ordinis, vel potestatis & Jurisdictionis spiritualis pro pretio temporali exercet, Simoniam committit. Communis ac certa, claris Juribus c. Non satis. 8. c. cum in Ecclesiâ. 9. c. Cum sit Romana 10. c. Nemo. 14. c. Ad nostram 21. h. r. cum Concordant. Ratio patet; quia Jurisdictio & potestas Ecclesiastica est quid verè spirituale, consequenter pro ejus administratione pretium temporale exigere Simoniacum est.

Infortitur, Simoniam committere sequentes. I. Omnes, qui pro pretio temporali Dispensationem impetuntur in præceptis Ecclesiæ, v. g. jejunandi, non laborandi in die Festivo, Nuptias non celebrandi diebus vetitis. Item qui pretium recipiunt pro aliis Dispensationibus, v. g. super Votis, Juramentis, Impedimenti Matrimonii, ætate Canonicâ, Interdictis, Irregularitate.

II. Illos, qui pro Foro interno, sive externo abfolvant à Censura Ecclesiastica.

III. Parochos, vel alios Curatos, qui pro pretio temporali assunt Matrimonio, nisi res temporalis detur, aut exigatur ut fructus Stole.

IV. Illos qui pro pretio alii, etiam pro unico actu relinquunt, aut committunt jus eligendi, presentandi, confirmandi, aut instituendi ad Beneficia.

V. Qui conferunt Officium, aut potestatem spirituales, v. g. constituent Vicarium Generalem, aut Officialem pro pretio, quòd tanquam Simoniacum specialiter etiam declaratur c. Ad nostram 21. Et c. Consultare. 38. h. t.

Dices, quotidianâ experientiâ constat, in Curia Romana, scientè & non contradicente, imò approbante Pontifice pro Dispensationibus exigi, & recipi Taxas temporales, & quidem eò majores, quòd difficilior censetur Dispensacio; ergo saltem non est Simonia pro Dispensationibus exigere, aut recipere temporalia. Resp. præfatas Taxas non exigi tanquam pretium Dispensationis, sed vel dari ut stipendia in sustentationem Summi Pontificis, & Officialium, & ad onera status Pontificii sustentanda, quòd Juri Divino & naturali conforme est, juxta dicta n. 185. Et 186. Vel pecuniæ illæ exiguntur per modum Mulctæ, idque tum ex eo, ut per hujusmodi Mulctam aliquantulum compenseetur recessus à Jure communi (siquidem cupienti, ut sibi concedatur exemptio à Lege communi, licitum est, atque rationale imponere aliud onus, quo compenet illam deformitatem, jejunandi v. g. vel clargiundo pecuniã in piis causis). Tum ex eo, ut sollicitatio Dispensationum, quæ cæteroquin est odiosa, ac vultus Juris, reddatur difficilior, sicque restringatur nimia eas petendi copia: ob quam causam etiam fieri poterit, ut quò difficilior est Dispensacio, eò major pecuniæ quantitas exigatur per modum Mulctæ, Zoellius h. r. num. 24. Pirhing h. r. n. 49. post Suarez, Lessium & alios, ex quibus nonnulli alias adhuc allegant causas; verum date sint principales.

Instabis; ergo etiam Episcopi, & alii potestatem

Dilpenfandi: vel aliam iurisdictionem spiritualem exercendi habentes, ex prefatis titulis vel causis temporale exigere poterunt. Resp. Negando Confequentiam, quia hoc eis specialiter prohibitum est à SS. Canonibus; & Concilio Tridentino Sess. 22. de Reformat. cap. 5. Sess. 24. de Reformat. cap. 5. Sess. 25. de Reformat. cap. 18. In quibus Papa quidem, non item Prælati Papæ inferiores dilpenfate possunt. Et quamvis Sanchez de Matr. lib. 8. Disp. 35. n. 11. Solas, & alii velint, posse Episcopos pro labore, quem habent in executione Dilpenfationum Matrimonialium à Sede Apostolica sibi commissarum, exigere aliquod temporale, ubi ita exigendi viget consuetudo legitime præscripta, tamen merito id negant alii cum Garzia de Benef. p. 8. cap. 1. à num. 102. suamque negativam probant tum ex Concilio Tridentino loc. cit. Tum ex variis Declarationibus Cardinalium apud Garziam loc. cit. in quibus specialiter derogatur consuetudinibus quibuscunq; etiam immemorabilibus.

218 Queritur VI. An, & quando committatur Simonia, si pro precibus, aut Orationibus, vel pro virtutis exercitio, aut alio bono opere supernaturali exigatur, aut detur temporale? Resp. I. Quamvis temporale per modum pretii pacifici, aut exigere pro orationibus, vel aliis piis exercitiis spiritualibus, Simoniæ sit, tamen Simoniæ caret, si per modum stipendii ad honestam sustentationem exigatur ab iis, qui ad Orationem huiusmodi ex Officio non tenentur, vel si tenentur, sufficientes ad sustentationem redditus non habent, vel si habent, sunt tamen in loco, ubi ita exigere consuetudo legitime præscripta, aut publica authoritas adest. Prima pars est unanimes & certa, arg. c. Cum in Ecclesia. 9. c. Suam. 29. cum Concordantiis. Ratio patet, quia cum Oraciones, & virtutum exercitia sint quid spirituale, pretium pro illis exigere, procul dubio Simoniæ est, per dicta.

219 Secunda pars, quod per modum stipendii temporale pro illis exigere, Simoniæ non sit in casibus allegatis, docetur à Suarez lib. 4. cap. 15. n. 5. Gutierrez Can. 99. lib. 1. cap. 29. Palao de Simonia. Disp. 3. punct. 9. n. 1. & aliis communiter. Patetque ex dictis à n. 185. & 187. quia non est major ratio de illis, quam his rebus spiritualibus.

220 Resp. II. Pariter Simonia caret, dare, aut præstare temporale sub spe obtinendi orationes, aut alia opera spiritualia, vel eontrâ, orationes alicui offerre, aut pro illo perficere spe obtinendi ad eo temporale. Ita omnes illi, qui docent, posse absque Simonia dari temporale sub spe obtinendi spirituale, aut eontrâ, quos, sicut & fundamenta Juris, ac rationis, vide supra à num. 87. Quibus accedit verbum, & exemplum Dei nostri, qui in Scriptura sacra passim offert temporalia bona, ut ad bona opera, orationes, & SS. Legum observantiam nos alliciat: & nos quoque bona opera exerceamus, ut bona temporalia à Deo obtineamus. Confirmatur consuetudine universalis inter homines, quâ constat, plurimos dare Religiosis, & aliis pauperibus elemosinam spe obtinendi ab eis orationes, & pia opera: & eontrâ Religiosos offerre Sæcularibus suas preces, & suffragia, spe obtinendi ab eis temporalia. Hinc inter errores Wicklessi damnatas à Concilio Constantiensi fuit etiam illa: Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis, in temporalibus subvenientibus.

221 Queritur VII. An, & quando committatur Simonia venditione, aut commutatione rerum sacrarum, seu sacratarum, vel benedictarum? Ante Responsum notandum, per res sacras seu sacras hic intelligi illas, quæ in se temporales, certis Ecclesiæ benedictionibus, precibus, exorcismis &c.

beneficiuntur, consecrantur, siquæ aliquo modo sacre ac spirituales, seu potius spiritualibus annexæ evadunt, & vocantur. Cujusmodi sunt Calices consecrati, benedicta Numismata, Cruces, Agnus Dei, Cereæ, velles, item & vasa benedicta, aqua, panis, sal, oleum, & alia quavis benedicta, & consecrata. Hoc reducuntur, & spiritualibus annexa dicuntur illa temporalia, in quibus tanquam ornamentis & receptaculis res spirituales continentur, ut Reliquiaria &c.

Resp. I. Supradictæ omnes, & aliæ huiusmodi res consecratæ, aut benedictæ absque vitio Simoniæ vendi, aut pro alia re temporali commutari possunt; dummodo ratione spiritualitatis, seu benedictionis, & consecrationis, seu ex eo, quod sint benedictæ, sacratæ &c. non plus detur, aut exigatur, quam res illa temporalis independenter à benedictione valet; & dummodo aliis rei venditio, vel permutatio Jure positivo prohibita non sit. Ita cum D. Thoma 2. 2. q. 100. a. 4. ad 1. 2. 3. Navarrus cap. 23. n. 108. Pirhing. h. t. n. 77. & hodie communis contra nonnullos antiquos Canonistas. Ratio est, quia res temporales, & materiales per benedictionem, & consecrationem accedentem non amittunt suum valorem, vel æstimationem temporalem, quam prius habebant.

Nec obstat celebris ille can. Si quis objecerit. 7. 221 cau. 1. q. 3. ubi inquit Papa: Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum derelinquit. Resp. enim, hunc Canonem non loqui de rebus benedictionem, seu consecrationem antecedentibus, seu ante illam prius jam existentibus, quales sunt præfata, Calix v. g. vasa Ecclesiastica &c. sed de illis, quæ post spiritualia consequuntur, illudque tanquam principale præsupponunt, quod dein ipse tanquam accessorium sequuntur, & adherent; ut est Jus percipiendi redditus temporales; hoc enim præsupponit Officium, munus, vel dignitatem spirituale, eamque primum sequitur, vel ex eo provenit iuxta illud c. fin. de Rescrip. Beneficium (id est Jus percipiendi redditus) datur propter Officium. Et hanc Responsum Doctores cum Gioia in cit. cau. Si quis objecerit. 7. Sed res desunt, ex correcto Canone desumunt, in quo loco verborum; Nam cum corporalis Ecclesia aut Episcopus, vel Abbas legitur: Nam cum Ecclesiæ corporalis Episcopus vel Abbas: De cujus proim Ecclesiæ Episcopali, vel Abbati dignitate, officio &c. ac de re temporali jure videlicet percipiendi redditus, officium, vel dignitatem consequente, merito dicitur in cit. cau. Si quis objecerit: Quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit (id est profect) neutrum inventum derelinquit; hoc ipso, quod Officium seu dignitas illa spiritualis sine redditibus non proficit & subsistere nequeat; & hæc ab illa nullatenus separari valeat.

Vel, si incorrectæ litteræ quis insisteret velit, dicat cum Valent. Tom. 3. Disp. 16. p. 2. §. fin. Textum illum loqui de rebus illis consecratis, à quibus consecratio amplius separari nequit, uti est Ecclesiæ, quatenus Ecclesiæ, de qua proin bene dici potest, quod sine altero vendi non valet.

Dicitur autem notanter in Conclusionem nu. 221. 223 posita: Dummodo ratione benedictionis, aut consecrationis non plus detur, quam res secundum se valet: hoc enim si fit, Simoniæ committi, omnes concedunt, hoc ipso, quod illud plus temporale pro spirituali, consequenter Simoniæ detur. Ubi tamen notandum cum Engel. h. t. n. 17. non esse Simoniæ, si res consecrata, vel benedictæ, vel Indulgentiis donatæ, qualia sunt v. g. Cruces Hispanicæ, item Rolaria Terræ S. Indulgentiam habentia carius,

carius, ac secundum materiam valet, vendunt, propter sumptus & expensas, quas in eis sportandis fecit, & labores itineris, quos subit vendens illas res: quia, cum isti sint pretio æstimabiles, utique in contractum venire possunt.

224 Dicitur ulterius Et aliis illius venditio Jure positivo prohibita non sit; sicut enim ex motivo Religionis, & sub peccato Simoniæ prohiberi potest à Jure venditio similitum, ita, ubi prohibet, servandum est, uti exemplum habemus de Chirimate, c. Ea que 16. h. t.

225 Porro advertunt DD. nu. 221. citati, & alii, quod dum etiam licite huiusmodi res consecratæ, v. g. Calix, vestis vendatur ad usum profanum, aut traditionem prius infringi, constari, diffusi, vel aliis ita tractari debeat, ut consecrationem amittant, arg. l. Sancimus. 21. & Auth. Præterea C. de SS. Eccles.

226 Resp. II. Commutare rem spiritualem pro spirituali non est Simonia excepta materiâ Beneficiorum; dummodo ratione spiritualis plus temporale commutando non detur, Pirhing. h. t. tr. 4. Resolus. 150. Layman lib. 4. tract. 10. cap. ult. de Simonia. n. 2. Suarez lib. 4. de Simonia. cap. 30. n. 5. arg. c. Adquisitiones. de Rerum Permutat. junctâ Glossâ ibid. 5. Per se queant. Ratio est; quia nec Jure Divino, nec humano id prohibitum reperitur.

Neque in contrarium militent Canones, quibus universiter prohibetur omnis pactio circa spiritualia. Resp. enim, Canones hos loqui de illis pactioibus, in quibus datur temporale pro spirituali, aut eontrâ. Suarez lib. 4. de Simonia. cap. 31. n. 20. Pirhing. h. t. n. 124.

Dicitur autem notanter exceptâ materiâ Beneficiorum, in hac enim permutationem privatâ autoritate fieri absque Simonia Juris Ecclesiastici non posse, dictum est supra arg. c. Questum. 5. c. Olim. 7. de Rerum Permutat.

227 Inferitur, non esse Simoniæ, commutare Reliquarium pro Reliquario, aut Rosario habente Indulgentias, aut pro alia re sacra. Eontrâ verò, esse Simoniæ, si prædictorum aliqua, aut alia re sacrâ, vel benedictâ habente Indulgentias incuitu spiritualitatis datur res profana majoris pretii & valoris, quam sit re consecrata & benedicta, secundum esse materiale. Pariter committitur Simonia, si in permutatione duarum rerum consecrarum aut benedictarum res una consecrata, quæ secundum esse materiale majoris censetur valoris, pro alia re consecrata, quæ secundum materiale est minoris valoris datur ex eo, quod hæc sit, vel censetur magis sacrata, aut majores habens Indulgentias &c. Ratio est; quia in tali casu ille excessus majoris valoris temporalis reverâ datur pro re spirituali, ut consideranti patet.

§. XI.

De Pœnis Simoniæ.

S U M M A R I U M.

227 In Electione Summi Pontificis penes contrahat etiam purè Conventionalis Simonia.

228 Ob Conventionalem Mixtam Simoniæ incurruntur Juris pena secundum aliquos.

229 Contrarium est probabilis.

240 Solvuntur objectiones, usque ad n. 244.

241 Si Simonia Conventionalis pura, vel Mixta postea utrinque compleatur, retrahuntur, & incurruntur penæ.

242 Exemplificatur.

243 Solvuntur Objectiones, usque ad n. 249.

249 Ob solam, & omnem Simoniæ Realem incurruntur ipso facto Juris pena.

250 Possunt tamen etiam aliæ Simoniæ ab Ordinariis puniri.

251 Pena contra Simoniæ in ingressu ad Religionem est Excommunicatio.

252 Detructo ad aliud strictius Monasterium.

253 Et infamia.

254 Proffissio tamen valet.

255 Et ante illam pena ipso facto non incurruntur.

256 Moniales, ob Simoniæ commissam in Suspensione ad Religionem, nullas incurruntur Juris penas.

257 Pena contra Simoniæ in Susceptione Ordinis commissam, sunt I. Excommunicatio: Et num. seq.

259 II. Susceptio Ordinantis à Collatione Ordinis: Et duobus num. seqq.

262 III. Item Susceptio Ordinanti ab Executione omnium Ordinum, tam Simoniæ, quam ritè susceptorum.

263 Pena contra Simoniæ in Beneficiis Ecclesiasticis commissam, sunt I. Excommunicatio.

264 II. Quod Collatio Beneficii sit nulla & irrita.

265 Confirmatio tamen, vel institutio Simoniæ obtenant, non reddat priorem Electionem aut Collationem nullam.

266 III. Est inhabilitas perpetua ad idem Beneficium.

267 IV. Et ad quovis aliud obtinendum, quæ tamen pena usi non videtur recepta in his partibus.

268 V. Est depositio ab Altaris ministerio.

269 VI. Privatio etiam aliorum Beneficiorum prius ritè obtentorum; quæ tamen pena ante sententiam Judicis non ligat.

270 Qui privatur Beneficiis prius ritè obtentis, fructus perceptos restituere non tenetur.

271 Doctrina præctica ad propositum de restitutione Beneficii & fructuum.

272 Juris penas etiam inducit Simonia Juris Ecclesiastici in Permutatione Beneficiorum commissâ.

273 Non item Simonia commissâ in obtinenda Capellanâ, Vicariâ &c. temporalibus.

274 Qui Beneficium per Simoniæ Realem ab alio commissam obtinuit, tenetur illud ante omnem sententiam dimittere, quamprimum rescit Simoniæ esse commissam.

275 Non tamen fructus bonæ fidei interea perceptos: Et num. seq.

277 Beneficium restituere non tenetur ille, in cujusodium ipso ignorante Simonia est commissâ.

278 Sicut nec ille, qui Beneficium per Simoniæ alterius obtentum, per triennium bonâ fide possedit.

279 Solvitur Objectio: Et num. præced.

280 Qui contra Simoniæ ab alio pro obtinendo Beneficio committendam protestatur, non amittit Beneficium.

281 Nisi alter non ignaro prius contradicente in Simonia pergat, & per eam Beneficium obtineat.

228 Penarum gravitas plures arcet à malis, quàm timor Dei.

229 Propter solam Simoniæ in Susceptione Ordinum, vel ingressu in Religionem, vel Beneficii Ecclesiastici commissam incurruntur penæ.

230 Et quidem ipso facto.

231 Solvitur Objectio: Et num. seqq.

234 Propter Simoniæ mentalem nullâ incurruntur Juris penæ.

235 Nec ob Simoniæ purè Conventionalem.

236 Solvitur Objectio.

- 282 Vel nisi tacite consentiat.
 283 Pena Simoniæ per Tertium commissa pro obtinendis Ordinibus.
 284 Simoniæ Confidentialis pena recensetur.
 285 Et declaratur una eorum de privatione Beneficii prius rite obtenti.

Quoniam plures penarum gravitas, quam Dei timor arcere solet à voluntate peccandi, ut dicitur. *Extravag. Cùm detestabile. h. 1.* Hinc Ecclesia ad eliminandum perniciosissimum sibi crimen Simoniæ varias, easque graves contra illud constituit penas, quas videre licet tum in *cit. Extravag. tum* in hoc Titulo passim. De quibus proin in *presenti* s.

229 Queritur I. An ob quamvis Simoniam incurritur Juris poenæ? Resp. I. Poenæ in Jure contra Simoniacos statuta non ob quamlibet, sed ob eam solum Simoniam ipso Jure & facto incurritur, quæ committitur vel in susceptione Ordinum, vel Religionis ingressu, vel Beneficiis Ecclesiasticis. Navarrus in *Manual. cap. 23. n. 111. §. 6. & §. 7. Palao de Simonia. p. 21. n. 2. Suarez lib. 4. cap. 55. n. 5. Sylvester ꝑ. Simonia q. 19. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 23. n. 120. Layman lib. 4. tr. 10. cap. 8. n. 69. Pirhing h. 1. n. 154. & alii communiter. Ratio est; quia nec in novo, nec in antiquo Jure reperitur aliquis textus imponens Simoniæ poenam, nisi Simonia committatur in uno præfactorum, Religionis videlicet ingressu, Ordinum susceptione, & Beneficiis Ecclesiasticis; ergo ad nullam aliam Simoniam penas extendere debemus; nam odia restringi, & favores convenit ampliari, c. *Odia. 15. de reg. Jur. in 6. Et in panis benignior est interpretatio faciendæ c. in panis. 49. eod.**

230 Quod autem propter prædictas tres species Simoniæ incurritur poenæ Juris ipso facto, præter c. *Reperitur I. q. 1. & quosdam alios Canones, qui de Excommunicatione loquuntur, habetur clarissime in Extravag. *Sunt. & Extravag. Cùm detestabile. h. 2.* inter communes, ubi committentes Simoniam in ingressu Religionis, in Ordinibus, aut Beneficiis ipso facto excommunicantur, aliisque poenis subjiciuntur.*

231 Concordat Bulla B. Pii V. *Cùm primum.* (& habetur in Bullario Romano ordine 5.) in qua contra dictas tres Simoniæ species tantummodo poenæ ipso Jure infliguntur, aliæ autem Simoniæ Sacramentales per locorum Ordinarios puniri jubentur.

232 Nec obstat, quod Paulus II. in Extravag. *Cùm detestabile. h. 2.* Omnes & singulas Excommunicationes, suspensiones, censuras & poenas, dudum à Romanis Pontificibus contra Simoniacos quomodolibet latas, & eorum quolibet tam manifestum, quam occultum, quas ipso facto eos incurere voluit, innovaverit &c. Ex quibus verbis, ne superflua forent, videtur inferendum contra unam partem Responsionis, omnes penas Juris contra Simoniacos, quæ olim erant ferendæ sententiæ, nunc ipso facto incurri. Resp. enim negando seq. quia (ut patet ex verbis mox sequentibus, & sub eodem verborum contextu prolatis, innovantes declaramus, quod omnes illi qui Simoniæ ordinati fuerint,) ibi est sermo de Simonia in Ordinibus contenta, quam una cum Simonia in Religione & Beneficiis commissa magis punire volunt Summi Pontifices propter majus detrimentum, quod inde universali Ecclesie bino inferat.

233 Nec tamen superflua prædicta verba. Nam istdem facta est extenso poenarum à publicis Simoniacis ad occultos, ita, ut omnes poenæ, quæ contra publicos Simoniacos in Ordinibus olim fuerunt statutæ, nunc etiam ipso facto incurrantur ab oc-

cultis. Non verò illis verbis facta est extensio poenarum quoad omnem proflus Simoniam, ita, ut ipso facto incurrantur poenæ ibidem expressæ per quoscunque Simoniacos; cum de ceteris nulla fiat mentio, & poenæ potius sint restringendæ, quam ampliandæ per dicta n. 229.

Resp. II. Ob Simoniam duntaxat Mentalem (qualis sit, vide supra num. 15.) nulla incurritur poena, etiam in susceptione Ordinum, vel Religionis ingressu, vel Beneficiis Ecclesiasticis committatur. Communis & certa. Ratio est; quia contra hanc Simoniam nulla invenitur poena statuta in Jure; imò ibidem pro conclusione expressè deciditur, dum dicitur c. *fir. h. 2.* quod pro Simonia, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente committitur (uti fit per Simoniam Mentalem) sufficit per solam penitentiam suo satisfacere Creatori. Cur autem contra hanc Simoniam Ecclesia nullam statuerit poenam, rationem reddit Papa c. *Tua nas. 34. h. 2.* quia *ecclesie datum est de manifestis tantum judicare: de occultis enim apud districtum Judicem (qui scrutator est cordium & cognitor secretorum) culpabiles judicantur. cit. c. fir. h. 2.* quod etiam experienter committentes Simoniam duntaxat Mentalem; licet enim in hoc mundo nullas Juris penas incurant, poenas tamen manûs Divinæ non evadent, nisi condignam penitentiam agant.

Resp. III. Etiam propter Simoniam purè, seu merè Conventioalem (id est illam, quæ quidem pactum externum dandi temporale pro spirituali, aut econtrà intervēni, ex nulla tamen parte adhuc adimpletum est, juxta dicta num. 19.) nulla incurritur Juris poena, in quocunque tandem committatur. Rursus certa apud omnes teste Palao de Simonia p. 22. num. 2. & alii. Ratio est; quia Canones in quibus in Simoniacos statuuntur poenæ, non de puris conventionibus, sed actibus inde provenientibus, actuali nempe datione, & receptione loquuntur; uti patet ex verbis Extravag. *Cùm detestabile. h. 2. b. 1.* ubi: *Universi, qui dando, vel accipiendo Simoniam commiserint, sententiam Excommunicationis incurrant; item ex illis verbis: Tum dantes, quam accipientes Excommunicationis sententiæ subjaceant. Extravag. *Sunt. eod.* qualia etiam alibi habentur passim in Jure, uti can. *Presbyter. 3. can. quisquis §. can. quos 6. &c. cau. 1. q. 1. cum Concordantia.**

Nec dicas: Emptio & venditio perficitur solo consensu in rem & pretium ejus, uti habetur §. 1. *Instit. de Emptio.* atqui Simonia est aliqua emptio; ergo solo consensu perficitur, etiam ante traditionem rei spiritualis, aut solutionem pretii; & consequenter etiam Simonia Conventionalis subjacebit poenis, cum jam sit Simonia perfecta. Resp. enim negando hanc ultimam seq. nam ex hoc, quod Simonia conventionalis jam sit perfecta Simonia, solum sequitur eam esse non tantum grave peccatum, sed insuper subesse Foro Ecclesiæ, ac puniri posse, quod ultro fatemur: non autem sequitur, quod de facto per Ecclesiam poenæ sint contra eam impostæ, & de quo solummodo queritur, quodque à nobis negatur. Siquidem poenæ istæ eatenus solum incurritur, quatenus Jure humano Ecclesiastico exprimuntur: nulla autem habetur expressa contra Simoniam purè Conventioalem, ergo.

Excipe cum Fagnano in c. *Nobis de Simon. num. 237. 13.* Simoniam Conventioalem in electione summi Pontificis commissam. Quia Julius II. in sua Constitutione, eum tam divino &c. (& habetur *Tom. 1. Bullarii Romani Constitutio. 3. ipsius*) etiam in eam poenas statuit, ut patet ex illis verbis dictæ Constitutionis; *In dando, promittendo, vel recipiendo*

pecuniam; nec non ibi, *promissiones & obligationes.* Sed hoc est speciale, quia specialiter expressum, ut eò sanctius celebretur electio summi Pontificis, Christi in terris Vicarii.

238 Et quidem hæcenus dicta de poenis Simoniæ sunt certa; sed gravissima controversia est apud DD. an Juris poenæ in Simoniacos statuta incurrantur propter Simoniam conventionalem mixtam, si videlicet saltem ex una parte pactum Simoniacum completum, & temporale vel spirituale Simoniacè promissum, actu jam traditum est? (de qua Simonia vide supra num. 19.) affirmativam tenent non pauci primæ classis DD. ut D. Thomas 2. 2. q. 100. a. 6. Sotus lib. 9. de *Justit. q. 8. a. 1. Cajetanus 2. 2. q. 100. a. 6. Palao de Simonia. pun. 22. num. 5. Valencia Tom. 3. disp. 6. q. 16. p. 6. & alii, & idque probare conatur pluribus Jucis textibus, quos infra loco objectionum adducemus; interea tamen fatemur, sententiam præfactorum DD. spectando Jura, reverà omnino probabilem esse. Quò non obitante,*

239 Resp. IV. Propter Simoniam conventionalem mixtam etiam illam, in qua spirituale v. g. Beneficium Ecclesiasticum, non item temporale Simoniacè pro illo promissum, actu jam traditum est, nullæ incurritur poenæ contra Simoniacos in Jure statuta. Navarrus in *Manual. cap. 23. num. 104. Zoelius h. 1. n. 92. & seq. Covar. in Regul. peccatum 7. 2. §. 9. num. 7. Gutierrez Canon. 99. lib. 1. cap. 9. n. 10. Flamin. Pariien. de Regul. lib. 7. q. 2. num. 16. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 27. Suarez lib. 4. de Simonia. cap. 56. n. 33. Gonzalez de Regul. Cancell. Gloss. lib. 15. num. 69. & 70. Engel. h. 2. num. 34. cum communis aliorum. Ratio est; quia nullibi in Jure reperitur aliqua poena clarè expressa contra aliquam Simoniam conventionalem mixtam, seu utrinque nondum completam; atqui in dubio non est asserenda poena, siquidem juxta c. *In panis 49. de R. 1. in 6. In panis benignior est interpretatio faciendæ* & L. 42. ff. de *Panis: Interpretatione legum panis molliendæ sunt potius, quam exasperandæ. ac c. 30. de R. 1. in 6. In obscuris minimum est sequendum.* Accedit, quod teste Navarro, Lessio, Gomez, & Castado, ita etiam observet stylius Curie, vi cujus non censetur poenæ contrahæ, nisi Simonia Realis utrinque completa habeatur; atqui stylius Curie habetur pro Jure & lege juxta communem DD. *arg. c. Ex litteris. de Constit. & c. quàm gravi. de crimine falsi.**

240 Nec obstat I. Quod in Extravag. *Cùm detestabile. h. 2.* poenæ imponantur sub disjunctione illis, qui dando, vel recipiendo Simoniam admiserint; & consequenter videatur sufficere, eam ex una parte esse completam, licet nondum ex altera. Resp. enim negando seq. nam particula disjunctiva additur ad indicandum, poenas illas v. g. Excommunicationis non tantum à dante, sed etiam à recipiente Beneficium Ecclesiasticum per Simoniam contrahi. Quinimò cum Extravagans illa non magis de datione unius quam alterius loquatur, intelligenda est de utraque (ut notat Navarrus *loc. cit.* sicque de Simonia utrinque completæ, ut odia restringantur, quantum salva verborum præsertitio fieri potest.

241 Nec obstat II. Textus c. *Si quis. 44. h. 2.* ubi dicitur, quod tam Ordinans, quam Ordinandus sub promissione, quod non postulat Ordinatus ab Ordinante provisionem (id est, sustentationem alioquin de jure debitam Ordinatio ad Sacros sine Titulo, *arg. c. Cùm secundum 16. de Præben. (incurrat suspensionem per Triennium; cum tamen hæc videatur esse sola Simonia Conventionalis mixta. Cui simile quid habetur c. Per tuas. il. 3. b. 1. Resp. enim Riiffenuel Jus Can. Tom. V.*

cum Pirhing *h. 2. num. 159.* allegantẽ Suarezem, ibi fuisse commissam Simoniam perfectam: licet enim pecunia aliqua data non fuerit pro ordinatione, ipsa tamen obligatio de non petenda provisione, seu remissio Juris ad istam, erat res pretio estimabilis, & jam actu perfacta. Ad Textum c. *Per tuas. h. 2.* respondet Abbas *ibid.* reformiter dictis: nam & ibi remissa fuit obligatio rei temporalis, ut acquireretur spirituale; remittere verò, idem est ac dare *arg. c. Veniens. il. 1. de Testib. unde negatur assumptionum.*

Nec obstat III. Bulla B. Pii V. quæ incipit, *In tolerabilis.* ubi §. 3. declarat, poenas ibidem statutas incurri, licet ipsum Confidentialis crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum. Resp. enim, dictam Bullam loqui de Simonia Confidentiali, in qua hoc est speciale, neque extendendum est ultra casum expressum, cum sit odiosum. Quod si alia aliqua Bulla B. Pii V. hæc de re edita sit, ea non videtur usò recepta, ut inquit Lessius *loc. cit. n. 149.*

Nec obstat IV. c. *Ha quis 1. q. 3.* ubi Urbanus II. sic loquitur: *quidquid ergo vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datæ, vel promissæ pecuniæ acquiruntur, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censuimus. Nota ly, vel promissæ pecuniæ; ergo sufficit sola promissio pecuniæ ad poenas incurrendas; cum ly, vel, sit disjunctiva. Resp. enim cum Navarro cap. 23. *Manualis. num. 104.* quod Rotæ Prætorium propter talem Simoniam super Beneficio Ecclesiastico commissam solet Reman illo private, licet, quia non pervenit ad Realem, non declarat eum ipso Jure privatum. Ita Navarrus; unde Urbanus II. intelligendus est post sententiam Judicis, non autem ipso jure: non solum confirmavit, quæ prius à SS. Patribus de Simoniæ statu statuta sunt, ut patet ex prioribus verbis ipsius.*

Resp. V. Sitamen postmodum pactio Simoniaca, quæ prius fuerat solum Conventionalis, utrinque intotum vel in partem fiat completa, ut si quis saltem partem etiam medicam v. g. sex anteos det, quicentum pro spirituali promittit, incurritur poenæ Juris, & retrorahuntur ad tempus poenitionis præteritæ. Ita Navarrus *loc. cit.* & Lessius *num. 157.* Id enim erat stylius antiquus Curie, cui standum est; licet aliquo facilius dici possit, poenas ejusmodi primùm incurri à tempore Simoniæ ab utraque parte completæ, nisi contrarium fuaderet stylius antiquus Curie, ut subdit Navarrus. Hinc

Inferat: Si Collator conferat Titio Beneficium Ecclesiasticum sub pacto 100. aureorum sibi solvendorum, quos Titius primùm solvat post annum, ante annum, seu ante factam solutionem nondum incurritur poena excommunicationis, nec Collatio illa erit irrita: si tamen post annum solvatur pecunia, sique utrinque compleatur Simonia, jam censetur incurra Excommunicatio ab utroque, & inhabilitas Titii ad Beneficium ab initio contractus, seu integro retrò anno, & ipsamet Collatio nulla ab initio. Et hoc variis exemplis, in quibus similis retroractio poenæ fit, declarant Navarrus & Lessius *h. cit.*

Nec obstat I. Quod Collatio Beneficii purè facta sine conditione non possit esse pendens, sed statim aut sit valida, aut irrita, ut latè traditur per Felinum in cap. 2. de *Election. in 6. Resp.* enim Navarrus *loc. cit.* spectato Jure antiquo ita fuisse; secus autem esse dicendum spectato Jure novo, scripto vel non scripto, quod per stylium Curie, Papa sciente, & non contradicente hæcenus observatum, atque interpretantem sæpè dictam Extravagantem, singulariter habetur & probatur.

Nec obstat II. Quod si Excommunicatio post completam utrinque Simoniam retrorahatur ad tem-

pus iuxta contractus Simoniaci, videatur sequi, Celebrantem interea postmodum etiam fieri irregularem, quia celebravit in excommunicatione, quæ per fictionem Juris fuit retractata. Resp. enim negando seq. quia, ut notat Lessius n. 154. post alios, hæc retractatio per Juris fictionem fit quidem in excommunicatione, non verò in Irregularitate: Tum, quia hæc non incurritur, nisi per violationem Censuræ absolute incurte, nam quæ nondum est, nequit violari: Tum quia ignorans Censuram, celebrando in ea non fit irregularis, ut expresse habetur c. Apostolice. de Cleric. excommunic. talis autem ignorantia Excommunicationis habetur, antequam ea sit actualiter contracta, uti patet; ergo.

248 Accedit manifestum discrimen, cur excommunicatio retractatur; & faciatque, ut collatio Beneficij interim facta sit nulla & invalida, non item Irregularitas arcens hominem ab executione Ordinum. Nam ibi agitur de lucro captando, hæc de damno incurrendo: Unde quia ignorantia Juris, aut facti juvat ad vitandum damnum seu poenam, non autem ad captandum lucrum, L. 7. §. seqq. ff. de Juris. Facti ignorantia, non est mirum, retrahi Excommunicationem, ut impediatur lucrum captandum, v. g. Beneficium acquirendum, non verò Irregularitatem, utpote quæ novum damnum infert, arcendo hominem a susceptione vel executione Ordinum.

249 Resp. VI. Ob solam ergo, & omnem Simoniam Realem utrinque saltem ex parte completam (de qua num. 20.) in susceptione Ordinum, vel ingressu Religionis, & Beneficij Ecclesiasticis commissam, ipso Jure & facto incurritur poenæ contra Simoniacos in Jure statutæ: quod ob hanc solam, constat ex hæcenus dictis, quod ob eam omnem, tenent Omnes. Ratio patet; quia, cum Jura velint Simoniacos ipso Jure & facto incurtere poenas, & ex hæcenus dictis probatum maneat, eas non incurri propter Mentalem, nec propter Conventionalem aliquam, necessariam sequitur, eas saltem propter Realem incurri. Et quidem propter omnem etiam occultam; eò quod præter Jura antiqua id tacite jam voluntia, utpote generaliter loquentia, consequenter nullam nec occultam exipientia, arg. c. quia circa 22. de Privileg. Specialiter autem, & manifestè declaratur, ac deciditur Extravag. Cum detestabile h. t. per textum supra allegatum numero 131.

250 Resp. VII. Quamvis ipso facto nulla incurraturs Juris poena, nisi committatur Simonia Realis utrinque saltem secundum partem completa in susceptione Ordinum, Religionis ingressu, & Beneficij Ecclesiasticis; possunt tamen, & subinde debent etiam Reverendissimi Ordinarii ob alias Simonias in quacunque materia commissas poenam aliquam prudenti suo arbitrio imponere. Patet hoc ex Bulla B. n. V. citata supra; & ratio est; quia cum quævis Simonia sit gravissimum crimen juxta dicta n. 6. procul dubio quemlibet possunt, & subinde debent punire Ordinarii, utpote qui soli in hoc crimine sunt Judices competentes tam contra Laicos, quam Clericos: ut cum Glossa in c. quam sit. §. Malefactor. de Foro competent. Abbas n. 20. Pirhing. h. t. n. 142. & alii bene advertunt.

251 Queritur II. Quæ poenæ in Jure sint statutz contra Simoniam, quæ committitur in Religionis ingressu? Resp. I. Contra hanc Simoniam sequentes tres ipso facto incurruno poenas Simoniaci. Prima est, quod tam dantes, quam recipientes aliquod Beneficium pro ingressu Religionis (juxta dicta superius §. IX.) si sunt persone singulares, Excommunicationem, si verò Capitulum, vel Conventus ad id consentientes fuerint, suspensionem ab Officio Ca-

pitulari ad jurisdictionem, vel administrationem pertinentem, ipso facto incurruno, aliis etiam poenis in suo robore duraturis. Ita clare statutum habetur Extravag. Sane. l. h. t.

Alter poena est, quod c. Veniens. c. de Regul. rib. & c. Quoniam. h. t. Religiosi Simoniace suscepti jubeantur de suo Monasterio expelli, & in arctioribus Monasteriis ad agendum ibi ponentiam detrudi; quamvis in nonnullis casibus ibidem expressis possint dispensativè in priori Monasterio remanere. Inf. per Abbas, & majores persone Monasterij jubentur suspendi, imò etiam de Monasterio in arctius detrudi, cit. c. Quoniam. h. t. Licet etiam isti in certis casibus possint dispensativè in priori Monasterio permanere. Neque illi, neque isti tenentur inde discedere, donec per Superiorem compellantur ad aliud Monasterium ingredi, ut probat Lessius lib. 2. cap. 35. n. 132.

Denique incurruno etiam infamiam Juris, & per consequens sunt irregulares, saltem si crimen est notorium notorietate Juris, aut facti, prout ex cit. Extravag. l. h. t. §. Ceryum, recte docet Anton. Thelaut. de Penit. Ecclesiasti. p. 2. §. Simonia cap. 10. n. 3. §. 4.

Illud tamen cum Lessio loc. cit. Sanchez lib. 2. Consi. cap. 3. dub. 104. n. §. Navarro, & aliis notandum, quod Professio Simoniace susceptorum non fit invalida, consequenter ista susceptorum, ad seculum redire, & nubere non valet; licet mandante legitimo Superiore ad arctius Monasterium transferi debeat, eò quod licet sit, & manere debeat Religiosus, tamen firmum non acquirit jus Prebende Regularis, seu portiois ordinariæ, vovisse ætate & puresse in Capitulo, quod est jus ad instar Prebende Canonice, uti post Navarrum bene observat Lessius loc. cit.

Uterius notandum cum Castro Palao de Simonia 255 pun. 23. nu. 3. Pirhing h. t. n. 71. & aliis, quod etiam committitur Simonia statim per Simoniacum ingressum ad Novitiam, præfate tamen Juris poenæ non incurranur, nisi secuta Professione, consequenter ab eis Regularibus immunes esse, si pecuniã, vel quid aliud Simoniace promissum non recipiant, vel Receptum iterum ante professionem tradant, aut ingressus professionem non emittat, sed iterum ad seculum redeat.

Resp. II. Quamvis Moniales in Monasterio sufficientes pro ingredientibus redditus jam habente æque, ac alij Regulares veram Simoniam committant, si pro ingressu ad Religionem aliquid temporale exigant; etiam illud loco dotis ad honestam ingressæ sustentationem id facere dicant, tamen poenis Juris non incurruno. Tota Conclusio patet ex dictis supra à n. 172. ubi vido, ne superflua fiat repetitio.

Queritur III. Quas poenas inducat Simonia Realis in Ordinibus? Resp. Conferens & Recipiens Ordines per Simoniam Realem est ipso facto excommunicatus. Ita habetur in Extravag. Cum detestabile. h. t. cum, ubi prius §. I. facta fuisse mentio de Ordinibus, postmodum §. statuens &c. fertur sententia Excommunicationis Summo Pontifici reservatz in omnes & singulos, qui quomolibet dando vel recipiendo Simoniam commiserint.

Nec dicas, hæc poenam solum pertinere ad Simoniacos in Beneficiis, utpote de quibus immediate ante loquitur Pontifex: non autem ad Simoniacos in Ordine, utpote de quibus ibi non est sermo, sed jam in fine primi §. alia poena est decreta, nempe poena Suspensionis in omnes illos, qui Simoniace ordinati sunt. Resp. enim cum Pirhing h. t. n. 156. Lessio, Laymano, & aliis, verba illa generalia, Qui quomolibet dando vel recipiendo Simoniam, commisserint,

rint, sententiam Excommunicationis incurranr, referri tam ad dantes, quam recipientes in Ordinibus, vel Beneficiis, de quibus in cit. Extravag. fit mentio; siquidem generalis illa locutio totam præcedentem materiam concludit atque completitur, quamvis ulterius, Simoniace Ordinati (non autem Ordinariæ vi hujus Extravag.) sunt suspensi.

259 Resp. II. Spectato Jure communi Decretalium Ordinarum Simoniace ipso facto est suspensus à Collatione Ordinum, saltem pro Triennium. Ita delimitur ex c. Si quis h. t. & tenet Pirhing. n. 158. Dixi notanter, saltem pro Triennium: nam Abbas in cit. c. ult. vult, quod si Orator proprie committat Simoniam in Ordine conferendo, ipse sit perpetuo suspensus à Collatione Ordinum.

260 Deinde Responso nostra solum procedit, quando crimen Simoniæ est occultum, nam si foret manifestum, & Reus accusaretur, atque convinceretur, etiam à suo gradu & officio Ecclesiastico deponeretur, c. Si quis Episcopus. §. seqq. cau. 1. quasi. 1. Quamvis hujusmodi pro Depositionis ipso Jure non incurrat, sed per sententiam Judicis sit imponenda. Pirhing. h. t. n. 168.

261 Addit insuper n. 102. Spectato Jure communi Decretalium. Etenim ex nova Constitutione Sixti V. Sanctum & salutare (quæ habetur Tom. 2. Bullarii Romani. Constitut. 91. ejusdem) Ordines Simoniace conferens à Collatione quorumcumque Ordinum, atque adeò ipsius Titularis, & ab executione omnium numerum Pontificalium eo ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesie interditi existit, prout loquitur cit. Bulla, postmodum harum Censurarum absolutio non, tamen Simonia foret occulta Sedi Apostolice reservata. Et quamvis Clemens VIII. allegatam Bullam Sixti V. quoad alia puncta revocaverit ad terminos Juris communis, idem tamen expressis Censuris & poenis contra Simoniace Ordinantes, & Ordinatarios inflixit in suo robore permanere voluit, prout loquitur Constitutio 40. Romanum. Tom. 2. Bullarii Romani. Quod si interdictum violat, præter Irregularitatem, quam incurrit vigore c. 1. §. c. 1. cui. 20. de Sentent. Excomm. in 6. etiam suspensus est à Regimine, & administratione suæ Ecclesie, & perceptione omnium fructuum à Beneficiis suis provenientium, uti expresse habet memorata Bulla Sixti V.

262 Resp. III. Ordinatus Simoniace scienter præter Excommunicationem (quam ipso facto contrahit arg. c. Reperiuntur. l. q. 1. §. 1. juncta Extravag. Cum detestabile. h. t.) est suspensus ab executione omnium suorum Ordinum, tam Simoniace susceptorum, quam aliorum, etiam si crimen sit occultum. Ita delimitur ex cit. Extravag. Cum detestabile. §. 1. ibi: Omnes illi, qui Simoniace ordinati fuerint, à suorum Ordinum executione sint suspensi. Et licet hæc verba probabiliter intelligi possint de Ordinibus duntaxat Simoniace susceptis, ut, in quo quis peccat, in eo & puniatur, simulque poenæ restringantur potius, quam extendantur: nihilominus quia indefinite loquuntur: à suorum Ordinum &c. de omnibus Ordinibus, etiam non Simoniace susceptis, communicat à Doctoribus intelliguntur, ut notat Pirhing. h. t. n. 160. Lessius loc. cit. num. 135. & Layman. n. 71. Si postea in tali Suspensione aliquem actum Ordinis exeret, incurrit pariter Irregularitatem, c. Apostolice. 9. de Cleric. Excommunic. c. Is cui. de Sentent. Excomm. in 6. ac insuper privationem Officiorum, & Beneficiorum omnium, atque inhabitatam ad ea, si fuerit Secularis, si verò Regularis privationem Vocis activæ, & passivæ, atque inhabitatam ad eam. Ita clara verba cit. Bullæ, quæ etiam hæcenus dicarum poenarum abolitionem soli Sedi Apostolice reservat, cum derogatione Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 6. ut pro-

in etiam circa crimen in hoc passu occultum nil valeat Episcopus.

263 Queritur IV. Quas poenas inducat Simonia Realis in Beneficiis Ecclesiasticis commissæ? Resp. Hanc Simoniam plures & graves inducere poenas. Patet inductione. Nam I. Omnes tam illi, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum, vel Officium sive simplex, sive Curatum, sive Seculare, sive Regulare, v. g. Episcopatum, Præposituram, Decanatum, Canonicatum, Parochiam, Generalatum, Abbatiam, Provincialitatem, Prioratum, Rectoratum, Guardianatum Simoniace conferunt, aut directe vel indirectè procurant conferendo v. g. eligendo, postulando, præsentando, commendando ad illud &c. vel etiam confirmando; instituendo, aut aliâ quacunque ratione providendo; quam illi, qui aliquo præfatorum modo Beneficium, aut Officium hujusmodi acquirunt, ipso Jure & facto incurruno Excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Unanimis & certa ob claram Dispositionem Juris Extravag. Cum detestabile. h. t. & Bullam Pii V. quæ incipit, cum primum. estque ordinis §. inter Constitutiones illius.

II. Quævis Collatio, provisio, & acquisitio hujusmodi Beneficij, aut Officij Ecclesiastici Simoniace facta, est ipso Jure irrita, & nulla, ita ut Simoniace provisus, prius nullum acquirat jus, nec faciat fructus suos, sed ad illorum omnium restitutionem, sub anima sua periculo sit adstrictus, uti expresse statuitur cit. Extravag. cum detestabile. h. t. Concordat textus can. Si quis neque. cau. 1. q. 1. §. c. Mattheus. h. t. ubi Simoniace adeptus Beneficium tenetur illud sponte dimittere, alioquin procul dubio in æternum periturus.

265 Notat tamen Valensis h. t. §. 4. num. 12. post Lessium loc. cit. n. 138. quod si Electus, vel presentatus legitime, postea committat Simoniam pro Confirmatione, vel institutione acquirenda, non vitietur Electio, vel Presentatio, sed sola irritetur Confirmatio, vel Institutio, in qua vitium illud est commissum. Et hoc probatur à simili ex c. Si Confirmationem, de Election. in 6. ubi habetur, cassata Confirmatione ob defectum alicujus solemnitate, non propterea cassari Electionem præcedentem Canonice factam. Unde in tali casu sufficeret, si per legitimam dispensationem tolleretur inhabilitas contracta per actum posteriorem; nec opus esset novâ Electione, aut Presentatione, secus dicendum, si in priori actu commissæ fuisset Simonia, nam tunc omnes sequentes actus forent irriti.

III. Qui Simoniace Beneficium aliquod obtinet, 266 illud, utpote nulliter obtentum, ante omnem sententiam non tantum dimittere tenetur, sed ad illud obtinendum perpetuo inhabilis evadit, ut proin perpetua inhabilitas ad idem Beneficium acquirendum sit tertio poena. Ita clare delimitur ex c. penult. de Election. §. c. Nobis fuit. 27. h. t. ac Bulla Pii V. Cum primum. quæ est ordinis §. inter Constitut. dist. Pontificis, Bullar. Cherubini. Tom. 2. ibi: Qui Beneficium aut Officium Ecclesiasticum Simoniace adeptus fuerit, illi similiter ipso jure sit privatus, & ad fructum omnium, quos percepit, restitutionem tenetur, & perpetuo sit inhabilis ad ea, & quæcumque alia Beneficia obtinenda. Hinc licet in c. penult. de Election. videatur Simoniace obtinentem Beneficium, tamquam eâ vice esse inhabilem ad idem obtinendum, quod ibidem, sicut & c. Nobis fuit. h. t. §. Ab Episcopo, etiam Glossa tenet, tamen post præfictam Constitutionem, ob illius verba, res controverti caret, quod perpetuo sit inhabilis ad idem Beneficium iterum obtinendum, intellige, nisi Papa dispenset.

IV. Vi ejusdem Bullæ (uti liquet ex verbis text. 267

tus preallegati) *Simoniace* obtinens aliquod Beneficium, est etiam *perpetuo inhabilis ad quacunque alia Beneficia Ecclesiastica obtinenda*. Verum *Navarrus Consil. 92. h. t. Palao de Simonia p. m. 25. Pirhing h. t. n. 170.* & alii volunt, memoratam Constitutionem, quoad hanc poenam vel usum non esse receptam, vel ante sententiam *Judicis condemnatoriam*, aut saltem declaratoriam *Judicis in Foro conscientie* non obligare, ut *proin tuta conscientia*, & absque omnia dispensatione *Beneficium* aliquod licite & valide obtinere valeat, qui prius aliud *Simoniace* obtinuit, nisi hujus *Simonia* acquisita jam fuerit deducta ad *Forum contentiosum*, & talis pro *Simoniaco* condemnatus vel declaratus.

268 V. Poena est, quod *Simoniace* obtinens Beneficium aliquod, perpetuo deponendus sit ab Altaris ministerio, arg. *can. Erga Simoniacos. cau. 1. q. 1. & c. De hoc. 11. h. t.* cum *Concordantiis*: quae tamen poena ipso facto non incurritur, sed primum per sententiam *Judicis est infingenda*, ut colligitur ex *cit. Juribus*, praesertim *c. 11. h. t. ibi: Confessio, vel legitime convicti ab Altaris ministerio sunt perpetuo deponendi.*

269 VI. Poena est, quod, qui *Simoniace* obtinet aliquod Beneficium, privatur etiam aliis Beneficiis prius legitime obtentis, quae tamen ante sententiam *Judicis condemnatoriam* non obligat, ut bene advertit *Navarrus loc. cit. Palao loc. cit. n. 4. Felinus in c. Injunctum. h. t. Abbas in c. Cum Clerici. de Pactis. num. 2.* & fuscè dedit *Suarez lib. 4. cap. 58. n. 6. Pirhing h. t. num. 169.* Ratio est; quia nullibi reperitur textus hanc poenam ipso Jure inducens; consequenter nec nos eam inducere debemus; contra *c. Odis. §. c. In panis, de R. J. in 6.* Quod autem per sententiam *Judicis Simoniacos* condemnari, & aliis rite obtentis Beneficiis privari valeat, tenent citati, & alii Doctores, satisque clarè patet ex *c. 2. de Confessio. ibi: Quoniam vitium hujusmodi persequi volumus, ut debemus, ipsum per definitivam sententiam duximus, ab omni Beneficio, & Officio Ecclesiastico deponendum.* cum *Concordantiis*. Accedit, quod hæc poena includatur etiam in priori poena, depositionis nempe perpetuae ab Altari.

270 Porro si quis ob *Simoniace* per sententiam *Judicis* privatur aliis Beneficiis prius rite obtentis, non hoc ipso privatur etiam fructibus prius legitime perceptis, nisi exprimat in sententia; quia aliud est privari Beneficio rite prius obtento, aliud fructus ejusdem; hinc nisi aliter in sententia exprimat, fructus prius legitime perceptos restituere non tenetur. *Pirhing h. t. num. 169. Suarez, & alii.*

271 Colligitur, quod etsi quis ante omnem *Judicis* sententiam Beneficium, quod *Simoniace* obtinuit, ipso facto perdat, illudque unà cum fructibus restitueret in Foro conscientie teneatur, sitque ad illud perpetuo inhabilis, licet *Simonia* sit occultissima, delinquenti soli, & Deo nota, alia tamen Beneficia prius rite obtenta, tuta conscientia retinere, & alia etiam iusto titulo acquirere, fructusque illorum percipere valeat, donec *Simonia* illius pateat, & ad *Forum contentiosum* deducatur, atque sententia condemnatoria, vel declarativa *Judicis* aliud statuat.

272 Resp. II. Recensitas hæctenus *Juris* poenas incurrit etiam illi, qui propria autoritate commutando Beneficia, committunt *Simoniace Juris Ecclesiastici*. *Abbas in c. Cum universorum, de Rebus permutat. num. 6. Layman. cap. ult. de Simonia. num. 66. Pirhing h. t. n. 155.* *Suarez* cum *communiori* aliorum contra patios alios. Ratio est: Tum quia *SS. Canoncs, & Constitutiones Pontificie*, dum poenas

contra *Simoniace* statuunt, sæpè in genere, ac indiscriminatim de quavis *Simonia Reali* loquuntur ergo etiam de *Simonia Ecclesiastica*, arg. *c. Quia circa. 22. de Privileg.* Tum quia plures *Canoncs* expressè loquuntur de *Simonia Juris humani* eamque poenis *Juris* subijciunt, ut patet ex *c. Cum olim, & c. Quæsitum, de Rebus permutat. c. De hoc. 11. h. t.* cum *Concordantiis*: præsertim *Extravag. 2. h. t.* ubi omnes *Simoniace* poenarum rei dicuntur, qui quomodolibet dando, vel recipiendo *Simoniace commiserunt*; ergo.

273 Resp. III. Poenæ contra *Simoniace* in materia *Beneficiorum* commissam statuunt non efficiunt *Simoniace* commissam in pensionibus, Vicariis, & Capellanis. *Communis*. Ratio est; quia *Extravagans Cum deservabile. h. t. p. n. p.* statuens solum loquitur de Dignitatibus, Personatibus, Officiis Ecclesiasticis, & quibuscunque Beneficiis; quæ non sunt pensiones &c. ut patet ex *Lib. III. Tit. V. de Præbend. & Dignit.*

274 Queritur V. Quid *Juris* circa *Simoniace*, & poenas illius, casu, quo quis Beneficium, aut Ordinem acquirit per *Simoniace* non ab ipso, sed ab alio commissam? Ante *Responsiones* notandum. Hoc *Quæsitum* solvi non posse unà eademque *Responsiones*; sed attendi debere, an *Simonia* à Tertio sit commissam sciente, vel ignorante, contradicente, vel non contradicente illo, pro quo Beneficium, vel Ordo *Simoniace* procuratus sit; item an id contigerit in ejus favorem, vel odium. Loquendo igitur de *Simonia* sic commissam circa Beneficium. Resp. I. Qui Beneficium per *Simoniace Realem* ab alio, parente v. g. consanguineo, amico &c. Commissam acquirit, nulliter acquirit, teneturque unà cum fructibus ante omnem *Judicis* sententiam dimittere, quamprimum recitit, *Simoniace* esse commissam, etsi id prius ignoraverit, & propterea Beneficium bona fide acceptaverit, eoque frui cæperit; supponens omnia esse rite & canonicè facta. Unanimis & certa ob claram dispositionem *Juris* *c. Non sicut. 27. §. c. Sicut tuus. 33. h. t. c. penult. de Electio. & can. 1. cau. 1. q. 5.* Nam secundum *Canonem* statuta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur, ut dicitur *cit. c. Sicut tuus. 33. h. t. posteriori arg. cau. 2. cau. 1. q. 5.* cum *Concordantiis*. Ratio est; quia omnis profluo Beneficii *Simoniace* facta, irrita est, & nulla, per Jura supra n. 264. allegata; ergo.

275 Hinc non obstat *Conclusionis*, quod *c. nicut tuus. 33.* dicitur, *Electio* nem, ignorante *Electo*, *Simoniace* factam penitus esse reprobendam, ex quibus verbis colligi videtur hujusmodi *Collationem* Beneficii profluo ignorante *Simoniace* factam, non esse ipso Jure irritam, sed primum irritandam. Nam contra est, quod, ut bene observant citati Doctores, dum ibi *Electio irritanda* præcipitur, idem est, ac *rejienda*, seu tanquam nulla declaranda; utpote talis per plures alios *Canoncs*; siquidem frequens est in Jure, ut, quod uno loco dicitur irritum, altero dicatur irritandum, hoc est, tanquam irritum rejiendum, & declarandum; sic v. g. etiam *c. In Geneff. 55. de Electio. Electio* contra formam *Juris* celebrata dicitur irrita & *c. Ecclesia 57. in fine* dicitur irritanda, id est, per sententiam declarandam irrita declaranda, si deducitur ad *Forum contentiosum*.

276 Nota tamen bene *Suarez lib. 4. cap. 57. n. 36.* & alii, quod talis, cui ignoranti Beneficium *Simoniace* collatum fuit, non tenetur restituere illos fructus, quos bona fide jam consumpsit, aut quos percepit tanquam condignum stipendium sui Ministerii spiritualis bona fide præstiti; quia dignus est Operarius mercede sua, per *Vulgaria*.

Cate.

277 Cæterum limitatur *Conclusio*, si ex fraude, & in odium illius, qui Beneficium obtinet, illo ignorante ab alio committitur *Simonia*; tali enim casu profluo Beneficii valida est, potestque ita profluo valide & licite illud retinere, etsi post Beneficium iam adeptum recitit, *Simoniace* ab alio esse commissam. *Communis* ac certa; textus clarus hunc casum excipiens habetur *c. Nobis fuit. 27. h. t. ibi: Nisi constaret illos, qui promissum tale (Simoniace) fecerunt per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè fecisse. Ratio, & equitas hujus Limitationis est; quia non est indulgentius malitis hominum, & non debet aliquis alterius odio prægravari, c. Non 22. de Reg. Jur. in 6.*

278 Limitatur II. Si ille, quo ignorante per alium *Simonia* commissam est, bona fide, nil sciens de *Simonia*, Beneficium per Triennium possidet *Palao de Simonia. p. m. 25. n. 3. Suarez lib. 4. cap. 57. n. 9.* *Lessius cap. 35. dub. 25. n. 140. §. d.* & alii *Ratio* est; quia juxta *Regulam* *Cancellarie, 36. de Trienniali*, ille, qui per Triennium Beneficium aliquo titulo colorato pacificè possidet, non potest amplius desuper molestari. Nec obstat, quod ad fruendum favorem hujus *Regule* expressè requiritur, ut absque ingressu *Simoniace* Beneficium obtinuerit. Resp. enim, quod, cum dicta *Regula* in quantum favorabilis sit, & in quantum odiosa strictè interpretanda sit, arg. *c. Odis. de Reg. Jur. in 6.* bene dici possit, clausulam illam tantum intelligendam esse de illo, qui vel ipse per propriam *Simoniace* Beneficium obtinuit, vel *Simoniace* alterius, quæ mediante obtinuit Beneficium, statim, vel saltem intra Triennium recitit, consequenter bona fide non possidet. Nullatenus verò esse intelligendam de illo, qui *Simonia* alterius penitus ignarus, optima fide per Triennium pacificè possidet. Cæterum dictam *Regulam* habet *Lib. III. Tit. V. de Præb. ubi n. 487.* per extensum habentur *Regule* *Cancellarie*, inter quas ad propositum 36. est de *Trienniali*.

279 Dices: secundum *Canonem* statuta etiam parvuli, qui cupiditate parentum per pecuniam Ecclesiam adepti sunt, eam dimittere tenentur, & *c. Sicut tuus. 33. h. t.* ergo etiam ignorantibus, & per Triennium bona fide possidentibus Beneficium, per *Simoniace* alterius impetratum non prodest *Regula* de *Trienniali*. Resp. Textum hunc posse intelligi de parvulis, qui vel de *Simonia* parentum ab initio fuerunt conscii, vel etiam intra Triennium recitiverunt, uti facile contingere potest, dicentibus, & lamentantibus subinde parentibus, quantum jam expenderint, vel expendere debeant pro filiis; vel dic. *Regulam* de *Trienniali* esse conditam post illos *Canoncs*, consequenter ei derogari in casu nostro, cum *Lex* posterior deroget priori, arg. *c. 1. de Constitut. in 6.*

280 Resp. II. Si Beneficium interveniente *Simonia* ab alio commissam obtinetur, sciente illo, pro quo obtinetur, & ante *Collationem* expressè contradicente, non vitatur sed valida est *Collatio* Beneficii, etsi alter contradicente ignorante in *Simonia* pergat, eaque mediante Beneficium reverè obtinetur. *Communis* & certa textu expresso *cit. c. Sicut tuus. 33. h. t. ibi: Quoniam ex eo, quod contra prohibitionem & voluntatem tuam (a qua postmodum minime recessisti) aliquis te penitus ignorante promissum pecuniam, & exolvit, nihil tibi debet ad panam, vel ad culpam imputari.*

281 Secus foret, & *Collatio* invalida esset, si quis sciret, quod alter non obstant contradicente & protestatione sua nihilominus in *Simonia* pergeret, eaque mediante Beneficium obtineret, uti colligi-

tur ex eodem *c. Sicut tuus. 33. h. t.* ubi tantum ille excusatur à poena nullitatis, qui post contradicentem ignorat, Beneficium ab alio *Simoniace* pro se obtinere; consequenter ille, qui scit, non excusatur, hoc ipso, quod sciat, Beneficium *Simoniace* esse obtentum, & tamen illud acceptat; cum sic acceptando videatur in re approbare *Simoniace*, & consentire in illam. *Lessius cap. 35. dub. 25. n. 143.*

Multo magis invalida est profluo Beneficii per 282 *Simoniace* alterius obtenta, sciente & penitus non contradicente illo, pro quo obtinetur, arg. à *Majori ad Minus*, per *Vulgaria*. Cujus ulterior ratio est; quia talis planè consentire videtur, uti bene advertit *Glossa in cit. c. Sicut tuus. 33. h. t. §. Adverber. Nam sepe qui tacet, consentire videtur, can. si servus sciente. dist. 54. & l. Si, ut proponis. C. de Nupt. quod ipsum etiam satis clarè innuitur *cit. c. Sicut tuus. 33. h. t. ibi: Quia longe diversum est, non præbere consensum (expressum) & expressè contradicere.**

283 Resp. III. Si quis ignoranter per *Simoniace* alterius ordinatur, de rigore *Juris*, tenetur ab executione *Ordinis* abstinere, postquam *Simoniace* Ordinationem resciverit, arg. *can. Præsentium, cau. 1. q. 5.* & *c. de Regularib. h. t.* potest tamen cum tali Episcopos dispensare, prout habetur *can. Præsentium, cau. 1. q. 5.* *Juncta* *Glossa ibid.* quia tales, etsi *Simoniace* ordinati sint, ipsi tamen *Simoniace* non sunt, ut dicitur *cit. c. de Simoniace. h. t.*

284 Queritur VI. An, & quid speciale sit circa poenas *Simoniace* *Confidentialis*? Resp. *Simonia* *Confidentialis* (de qua supra à num. 32.) ipso Jure, & facto sequentes specialiter secum trahit poenas.

I. Præter excommunicationem ipso facto incurrendam privat non tantum Beneficio, circa quod *Simonia* *Confidentialis* commissam fuit, sed etiam aliis Beneficiis, & pensionibus rite obtentis.

II. Inhabilem reddit ad idem, & alia quæcunque Beneficia obtinenda.

III. Facit, quod Beneficium per *Simoniace* *Confidentialis* nulliter acquiritur reservetur Summo Pontifici, ita ut nullus præter illum Beneficium hujusmodi conferre valeat.

IV. Id etiam speciale habet, quod fructus ex tali Beneficio male percepti applicari debeant *Camere* *Apostolice*.

Et tandem V. Id specialiter operatur, quod præfate poenæ contrahantur non tantum per *Realem*, sed etiam per *Conventionalem Mixtam*, uti patet ex *Bulla* *Pii V. Intolerabilis*, præsertim §. 3. ubi decernitur, poenas contra *Simoniace* *Confidentialis* statutas incurri, licet ipsum *Confidentialis* crimen alterius tantum partis conscientia sit completa. Porro reliquæ enarrate poenæ expressè habentur in *Bulla* *Pii IV. Romanum*, & *Pii V. Intolerabilis*, quam vide supra n. 42.

285 Notandum tamen cum *Lessio cap. 35. dub. 26. n. 285.* *147. Suarez lib. 4. cap. 43. n. 13.* & aliis, quod poena privationis aliorum Beneficiorum prius rite obtentorum, ante sententiam *Judicis* declaratoriam non obliget, sed quod poena etiam ipso Jure lata, ante sententiam *Judicis* declaratoriam non obliget, si externam executionem requirit; prout amplius diximus *Lib. I. tit. 11. de Constitut. §. 10. nu. 227.* Quæ ratio, cum non procedat in poena inhabilitatis ad alia quæcunque Beneficia, non apparet quare nonnulli dicant, etiam ad eam, ratione *Simoniace* *Confidentialis* incurrendam requiri *Judicis* sententiam: Contrarium siquidem clarè patet ex generalibus fundamentis de *Lege* penali datis supra *Lib. I. Tit. II. num. 226.*

§. XII.

§. XII.

De Restitutione Simoniacè acceptorum.

SUMMARIUM.

- 286 Nulla est obligatio restituendi Simoniacè accepta spiritualia: & num. seq.
- 288 Exceptis Beneficiis Ecclesiasticis, que una cum fructibus ante omnem Judicis sententiam restitui debent.
- 289 Qui temporale accepit pro spirituali quocunque, tenetur illud restituere ante omnem Judicis sententiam.
- 290 Qui temporale accepit pro Beneficio Ecclesiastico, tenetur temporale restituere.
- 291 Et quidem de Jure Divino.
- 292 Solvitur Obiectio.
- 293 Qui pro resignatione Beneficii accipit temporale, secundum aliquos tenetur solo Jure humano illud restituere.
- 294 Doctrina practica de Restitutione Simoniacè acceptorum.
- 295 Qui temporale accepit ratione Beneficii Ecclesiastici, tenetur illud restituere Ecclesie, vel pauperibus.
- 296 Ante sententiam Judicis tamen potest, imò tenetur restituere illi, à quo accepit: Et n. seq.
- 298 Simoniacè accepta temporalia pro ingressu in Religionem possunt manere penes Monasterium.
- 299 Simoniacè accepta pro administratione Sacramentorum, & Sacramentalium restitui debent ante omnem Judicis sententiam.
- 300 Etiam propter Simoniam Mentalem.
- 301 Solvitur Obiectio.
- 302 Accipiens temporale pro temporalibus annexis spirituali non tenetur ad restitutionem.

286 **Q**ueritur I. An, & qualis detur obligatio restituendi spiritualia Simoniacè accepta? Resp. I. Nulla datur obligatio restituendi Simoniacè accepta spiritualia, exceptis Beneficiis Ecclesiasticis. Suarez lib. 4. cap. 59. Bonacina de Simonia, q. 7. Palao de Simonia pun. 26. num. 1. Lessius cap. 25. dub. 29. num. 66. cum Communi aliorum. Ratio est; quia nullum nec Divinum nec humanum reperitur Jus, hujusmodi obligationem inducens; præsertim cum illam pro re temporali comparans, non contra justitiam, sed præcisè contra Religionem peccet.

287 Nec dicas: qui Simoniacè accipit temporale pro spirituali, debet illud restituere; ergo etiam qui accipit spirituale pro temporalis, debet spirituale restituere. Resp. negando Conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd accipiens temporale pro spirituali faciat danti injuriam, utpote qui spirituale gratis dare debuisset juxta mandatum Christi Matth. 10. *gratis accepistis, gratis date.* Nam sicut Dispensator elemosynam gratis dispensare jussus, pauperi facit injuriam, & ad restitutionem tenetur, si pro elemosyna tradita à paupere exigit, vel vi contractùs accipit pecuniam, ita ad restitutionem tenetur, qui pro spiritualibus, que tanquam dispensator juxta præceptum Domini gratis distribuere debet, temporalia exigit. Econtra verò qui spirituale accipit tradenti non facit injuriam, utpote qui illud alius gratis dare debuisset.

Dicitur autem notanter in Conclusionè *exceptis Beneficiis*. Nam

288 Resp. II. Qui Simoniacè accipit Beneficium aliquod Ecclesiasticum quaecunque tandem, sub gravissimo peccato Mortali tenetur ante omnem Judicis

sententiam illud unà cum omnibus fructibus perceptis restituere, ac dimittere, etiam si Simonia sit occultissima, & quidem, si Simonia est *Conscientialis*, etiam pretio non soluto; si verò est *communis Simonia*, tunc, quando utrinque saltem ex parte jam est completa, accipiendo spirituale, & tradendo temporale saltem secundum partem. Ita unanimitas & certa, prout amplius patet, & ex Jure clarè probatum est §. *præced.*

289 **Q**ueritur II. An; & cui restitui debeant temporalia Simoniacè accepta pro spirituali? Resp. I. Qui accipit temporale sub conditione dandi, vel præstandi spirituale, & conditionem non implevit, tenetur Jure Divino, & naturali ex justitia restituere acceptum. Unanimitas & certa. Ratio patet ex dictis *num. 287*, si enim restituere tenetur ille, qui pactum servando dedit spirituale pro temporalis; multo magis tenebitur, qui temporale sub conditione dandi spirituale accepit, & hoc non dedit, eò quòd tunc profrus nullus nec apparens addit titulus retinendi; econtra verò viget titulus restituendi ob conditionem non impletam.

290 **R**esp. II. Qui Simoniacè accipit temporale pro, vel propter Beneficium aliquod Ecclesiasticum, quocunque tandem, putà, quia ad illud aliquem elegit, vel postularit, vel presentavit, vel commendavit, vel idem alicui contulit, vel resignavit, tenetur sub peccato Mortali, si temporale est materia gravis & ante omnem Judicis sententiam restituere. Certa & communis omnium, signanter D. Thomæ 2. 2. q. 100. art. 6. in Corp. Palao loc. cit. n. 4. Suarez lib. 4. cap. 60. n. 3. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 30. n. 169. Bonacina de Simonia q. 7. pun. 3. diffcult. 1. n. 7. Sylvestrius de Simonia, q. 20. arg. c. De hoc. 11. h. t. ibi: Reges, & Principes ejus debet inducere, ut si non receperint, à prefato Episcopo, ut ejus Electionis præstent assensum, Ecclesia Oxoniensi sine diminutione restituans. cum ea sine gravi salutis periculo retinere non possint. Ex quo Doctores rectè inferunt, Simoniacè accepta temporalia pro spiritualibus, sub gravi culpa ante omnem Judicis sententiam restitui debere, hoc ipso, quòd sine salutis periculo retineri non valeant.

291 **E**t quidem hæc restituendi obligatio non tantum Juris humani Ecclesiastici, sed etiam Divini est, casu quo accipiens temporale pro spirituali non se privat bono aliquo temporali fortunæ, aut honoris, sed absolute omni sui præjudicio & damno temporali simpliciter dat, vel procurat spirituale, conferendo v. g. Beneficium, aut postulando ad illud, vel eligendo, vel presentando, vel commendando &c. prout communiter tenent DD. Ratio est; quia cum talis non sit Dominus, sed Dispensator tantum hujusmodi rei spiritualis, jussus à Domino Deo, ut *gratis distribuatur Matth. 10.* Domino, & illi à quo pro re spirituali temporale exigit, facit injuriam, peccato contra justitiam, consequenter ex Jure Divino ad restitutionem tenetur, si aliquid exigit, prout à simili demonstravimus supra n. 287, in Dispensatore elemosynæ.

292 **N**ec excusatur ab hoc injuriæ peccato, si dicitur, se temporale non exigere pro spirituali, sed pro emolumento temporali, quòd ex Beneficio alteri provenit, & quia hoc illi præ aliis conferat, vel contulerit, ad quòd non tenebatur. Nam contra militat tum ea, quæ supra jam dicta sunt à n. 135. Tum Decretum Alexandri VII. hoc effugium damnantis in sequenti Propositione: *Non obstat contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia pecuniâ interveniente non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento tempo-*

temporalis, quòd tibi conferre non tenebatur.

293 **C**asu tamen, quo dans Beneficium privat se commode, & honore temporali (prout fit in Resignatione Beneficii, utpote per quam Resignans ultro se privat temporali honore, fructibusque temporalibus, quos ex Beneficio ipse prius recepit) putant aliqui, obligationem restituendi Simoniacè accepta temporalia, non oriri ex Jure Divino, sed Ecclesiastico duntaxat; eò, quòd (ajunt) talis licet secundum Omnes committat *Simoniam Juris Divini* per dicta supra n. 24. tamen non peccet contra justitiam; cum resignando Beneficium, se ipsum privet commode etiam temporali, & pro illo temporali iterum exigat. Verùm quidquid sit de hoc, Simoniaces nil juvat; cum juxta Unanimitatem per dicta supra n. 290. etiam talis, sicut omnes alii propter Beneficium Simoniacè accipientes temporalia, sub gravi culpa ante omnem Judicis sententiam teneantur ad restitutionem, sive dein hæc obligatio ex Jure Divino, sive humano procedat.

294 **V**ideant igitur, suamque examinent conscientiam illi, qui Beneficium aliquod contulerunt, vel resignarunt, vel ad illud presentarunt, elegerunt, aut postularunt, commendarunt &c. an propterea Simoniacè exegerint, vel receperint temporalia; & si quis reum se invenit, illico restitutionem facere non omitat: Secus enim in continuo statu disgratiæ, & æternæ damnationis periculo versabitur, nisi aliquem ex infra à n. 324. ponendis titulis à restitutione exculantem habeat, qualis certè non est illos & contemptus hujus tam certæ doctrine, nec crassa, vel affectata ignorantia illius, minus verò stulta pertinacia, que nonnulli verèrem conscientie optique cupientes, vel nolentes intelligere, ut bene agant, mentem & aures à rationibus, & fundamentis doctrinæ sibi contrariæ avertunt, ac simpliciter & sine ullo fundamento dicunt: non credo: non teneor credere. Tales utinam non in æternum sentiant, quòd modo credere nolunt. Certè his & similibus restitutionem Simoniacè acceptorum temporalium facere negligentibus, sequentia scribere non dubitavit Panormitanus c. *De hoc*. h. t. n. 6. *Multis tales sunt hodie in orbe, de quorum salute dispendium est, cum decedant in tali peccato: Nam peccatum non dimittitur, nisi restitatur ablatum.*

295 **R**esp. Temporalia Simoniacè accepta intuitu Beneficii Ecclesiastici, de Jure Ecclesiastico restitui debent non ipsi danti, sed Ecclesie, in quo Beneficium est. Ita communis patetque clarè ex *cit. c. De hoc*. 11. h. t. ubi expressè præcipitur, ut Simoniacè accepta hujusmodi restituantur Ecclesie Oxoniensi. Notant tamen DD. cum D. Thoma 2. 2. q. 100. a. 6. *ad Tertium*, Superioris arbitrio posse ea restitui pauperibus. Imò cum obligatio Simoniacè accepta restituendi Ecclesie, & non alii, sit tantum Lex humana, cui per consuetudinem derogatur c. *fin. de Consuetud.* omnino potest consuetudine introduci, & jam introducendum esse, multi asserunt, quòd restituuntur pauperibus.

296 **P**orro plures, ut Palao de Simonia pun. 26. n. 5. Lessius cap. 35. dub. 31. n. 171. & alii prohibere censent, temporalia intuitu Beneficii Simoniacè accepta, ante Judicis sententiam restitui posse ipsi, qui prius dedit. Imò ante Judicis sententiam necessariò esse huic restituendum, absolute docent Sotus lib. 9. q. 8. a. 1. de Simonia. & §. *ad sextum*, Matth. de Moya tract. 6. *Miscell. disp.* 4. q. 6. §. 2. n. 13. Bannez 2. 2. q. 32. art. 7. dub. 2. & alii, cum quibus & nos sentimus ob sequentem rationem; quia Simoniacè dans temporalia pro Beneficio non transfert, sed in effectu reverà adhuc retinet domi-

nium illorum temporalium; cum enim illud in nullum alium, quàm in illum, qui directè, vel indirectè dedit Beneficium, transferre intendat, hic autem illius recipiendi fit incapax, manifestum est, quòd apud dantem remaneat, consequenter ante Judicis sententiam eidem tanquam pro domino restitui debeat.

297 **S**i dicas, quòd Simoniacè dantem temporalia, Ecclesia in poenam delicti privet dominio prefatorum temporalium, & velit, ut Ecclesie restituatur *cit. c. De hoc*. 11. h. t. Resp. Ex hoc tantum sequi, quòd post sententiam Judicis non ipsi danti, sed Ecclesie vel alii juxta tenorem sententiæ restitui debeant; non verò ante sententiam; cum nulla lex postalis jure suo jam quæsito privans, vel externam executionem exigens, obliget ante sententiam Judicis, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constit.* à n. 227.

298 **Q**ueritur III. An, & qualis sit obligatio restituendi Simoniacè accepta temporalia pro ingressu in Religionem, collatione Ordinum, aliorumque sacramentorum & sacramentalium, vel aliarum quarumcumque rerum spiritualium administratione? Resp. I. Nulla est obligatio ante Judicis sententiam restituendi Simoniacè accepta in ingressu Religionis pro honesta sustentatione, Pirhing h. t. n. 182. Palao de Simonia pun. 26. Lessius cap. 35. dub. 30. & alii, arg. *Extravag. Sanè*. h. t. ubi Papa concedit, quòd Simoniacè accepta in ingressu Religionis possint retineri dummodò non in privatum Abbatem, vel Abbatissæ, vel alterius, sed in communem usum convertantur. Ratio est; quia licet Regulares Monasterii opulenti peccatum Simoniacè committant, etiam si pro honesta sustentatione quid legant ab ingredientibus per dicta supra §. *XI.* tamen quia Papa concedit, quòd hujusmodi Simoniacè recepta, communi Monasterii usus tanquam piæ causæ remanere, & applicari valeant, favore hoc utique sibi poterit Monasterium juxta tenorem textus in *Extravag. Sanè*. h. t. sic habentis: *Insuper erga personas illas, que in præmissis recipiunt aliqua contra Canonicas Sanctiones peccare nocuerunt, volentes nos reddere gratiosos, omnia recepta hujusmodi, si ad communem usum Monasteriorum, seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum concedimus retineri: si verò ad specialem usum Abbatissæ, vel Abbatissæ, Prioris, aut Priorissæ, aut alterius singularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in Communem.*

299 **R**esp. II. Qui temporalia Simoniacè accepta pro Collatione Ordinis, aliorumve Sacramentorum, vel Sacramentalium, aut rerum quarumcumque tandem spiritualium, que conferuntur sine damno aut incommodo temporali conferentis; cujusmodi sunt Dispensationes, Abolutiones, Indulgentiæ &c. Jure Divino, consequenter ante omnem Judicis sententiam restitui debent, Suarez lib. 4. de Simonia. cap. 59. num. 11. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 28. num. 162. Lyman. de Simonia. §. 9. num. 75. Pirhing. h. t. num. 175. Ratio est, quia cum ex mandato Domini Dei, *Matth. 10.* hæc & similia spiritualia gratis conferre debeant Dispensatores (cujusmodi & non dominus respectu spiritualium est quisvis conferens illa) injustè agit, & injuriam facit alteri, qui ab illo pro tali re spirituali gratis exhibenda, pretium exigit, prout supra n. 291. jam dictum & n. 287. à simili demonstratum est in elemosynæ Dispensatore contra voluntatem Domini pretium aliquod exigente, cui elemosynam dispensat.

300 **E**t quidem Conclusio etiam procedit in *Simonia Mentali*; quia, cum juxta dicta n. *præced.* obligatio restituendi Simoniacè accepta procedat ex Jure divino,